EX LIBRIS
No.....
SAMUEL LATHAM MITCHILL BARLOW

John Carter Brown
Library
Brown University



11°

SAMU

B 331

B. A. V.
N° 225 bis p. 516.

GEORGII RITHAYMERI DE ORBIS TERRARVM SITV COMpendium, ad Hieronynum Vueyrer Præpositum Reycherspergensem.

Norimbergæ apud Ioh. Petreium,
anno M. D. XXXVIII.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO D. HIERONYMO VVEYRER diuino consilio Præposito monasterij Reycherspergensis Georgius Rithaymerus S. D.

MENSIBVS abhinc quinq; aut non multo secus Reuerende Pater, Vitus Tritonius iuuenis & eruditus & probus, suis literis mihi significauit, te delectari eo studiorum genere, quod ad terræ situm pertinet, mecq; submonuit, ut tibi prospicerem de tabula Geographica, cuius cognoscendæ mirum quoddam desyderium te teneret: mox ipse mecum meditabar, omnisq; mea cura, cogitatio, & opera in hoc ipso mihi consumebatur, quomodo & tibi, & istis iuuenibus nouitijs, qui in cœnobio Reicherspergensi tuo ductu sanctum quoddam uitæ genus amplectuntur, opera mea prodesse possem: & cum id temporis à reliquis literis ob hanc rerum nostrarum perturbationem & iniquitatem commodum uacarem, cœpi ea quæ de Geographia fusissime apud Plinium, Strabonem, Pomponium Melam, uiros in maximarum rerum scientia insignes scripta sunt,

in quoddam breuiarium redigere, secutus etiam sum in hac re neotericos, Aeneam Siluium, Volaterranum, Ioachimum Vadianum, quo olim in his rebus præceptore usus sum. Verum cum de Schondia prisci Geographi penè siluerint omnes, aut perparce illius mentionem fecerint, eam partem ab his relictam Iacobum Zieglerum uirum egregie doctum imitati expleuimus. Ante omnia autem hæc ita præcaui atq; ita præuidi, ne huic libello ea inserrentur, quorum difficultas & asperitas quoquo modo auertere posset discentem. Porrò hoc loco monitos esse uolo omnes, nemini ad hanc disciplinam patere aditum nisi subinde tabulam Geographicam ante oculos posuerit, in hac enim re non tam libro quàm pictura iuuamur, si mihi monenti obsecundabitur, breui huius artis cognitionem uel puer assequi poterit. Sume igitur Reuerende Pater sub patrocinium tuum hunc libellum nomini tuo dedicatum, ut sit perpetuæ meæ in te gratissimum erga me discipulum obseruantiæ μνημόσυνον καὶ ἀρραβών, non quo putem laborem hunc nostrum tua beneficia quibus post primam Turci incursionem toto quadriennio, quo fortunæ uicio non meo decoxi, prosecutus es exæquare & rependere, sed quòd sine patrocinio libellum edere nolui

re nolui, nomenq; tuum huic præscribere planè uolui. Christus Optimus Maximus seruet te mihi & tuis omnibus quàm diutissime incolumem.

Viennæ Pannoniæ, calendis Ianuarijs,

Anno M. D. XXXVIII.

ERRATA.

Pagina 3 línea 14 pro undat lege nudat, línea penultíma lege meatus. Pag.8.línea 21 lege Tanai. Pag.9 li.2 poſt occaſu,adde, regio. li.17 lege Aſtures. Pag.11 li.9 p Darium,lege Durium. Pag.16 li.26 poſt Tuiſcon,adde, pater. Pag.20 li.22 lege Nariſij. Pag. 22 li.26 pro Verũ lege Rerum. Pag.26 li.13 lege alluuntur. li. 27 ſic ut. Pag.29 li.24 lege rigant, li.25 pro Fleſo lege Sleſo. Pag. 31 li.24 lege portuũ. Pag.32 li.2 lege tenet. Pag.33 li. 1 lege nolumus. Pag.32 li.6 poſt oculis, adde, dicti. Pag.36 li.2 lege Amaxouitæ. Pag.38 li.12 lege Clage furtium. li.22 lege Iapigia. Pag.40 li.17 pro Badæ lege Budæ.


Arctic9
circulus
Cancri
circulus
Aeqnoctialis
Capricorni
circulus
Antar
cticus
circulus

GEORGII RIT=

HAYMERI DE ORBIS TERRA=RVM SITV COMPENDIVM, AD HIERO nymum Vueyrer Præpositum Reycherspergensem.

Eographia, si etymon uocabuli inspexerimus, propriè ea dicitur, quæ terræ situm ut extra intra'q; Oceanũ nostrum'q; mare se habet, describit, cum locorũ passim iacentiũ enumeratione. Inde Geographus is dicitur, qui terræ uel singulas, uel utiq; celebriores regiones describit.

Cosmographia est ea, quæ & cœli & terræ rationem habet, & quæ demonstrat sub qua cœli facie sita sint loca, quæ locorum longitudo sit, quæ latitudo, ad hæc quæ sydera locis sint uerticalia, quæ in arcton, quæ in meridiem inclinent, & in quo climate loca sint.

Geometria est ea, quæ de lineis & figuris, quæ ex lineis constant, cõsiderat: quam à terræ mensu dictam uocabulũ indicat: quamuis hæc disciplina & in cœlo locum habeat, inde Geometer.

Topographia est loci non ficti descriptio, historiæ conueniẽs. Salustius in historia Iugurtina Leptim urbem inter duas syrtes sitam ut Topographus describsit.

Topothesia est loci ficti descriptio, qua usus est poëta Virgilius primo Aeneidos, cum locum quendam in Africa scribit, qui in Africa nusq; est, sic enim inquit: Est in secessu longo locus insula portum efficit.

Chorographia est loci descriptio, uel etiã in minimis suis partib⁹, at hoc distat à Geographia, q̃ Geographia summatim terras & eius partes p̃cipuas designat, Chorographia etiã sigillatim oĩa loca siue pua siue magna considerat.

TAbula in qua terræ ſitus depingitur. Geographica dici tur, à Græco nomine γῆ & γράφω, quod ſcribo ſiue pingo ſignificat, dicta, cuius auxilio uel breui momento totum terrarum orbem obire poſſumus, & amplius in uniuerſa hiſtoria proficere, & ſi Vlyſſis exemplo continuis decem annis per omnes terras & maria erraremus. Hæc in quã tabula docebit nos inferioris mundi & partium eius duarum, puta terræ & aquæ habitudinem & ſitum.

MVndus duplex: Superior & Inferior. Superior, quẽ philoſophi intelligibilem uocãt, is æternus diuinusq; eſt, & perpetuo quodam tenore eundem ſtatum retinet, eius partes nouem ſunt: Sphæra Lunæ, ſphæra Mercurij, ſphæra Veneris, ſphæra Solis, ſphæra Martis, ſphæra Iouis, ſphæra Saturni, Cœlum ſtellatũ quod & firmamentum dicitur, Primum mobile ſiue cœlum ultimũ, atq; iſtæ ſphæræ omnes ſeſe orbiculariter complectuntur, & ea quæ primũ mobile dicitur maxima eſt, ſphæra Lunæ minima, ſuntq; corpora diaphana. Inferior, qui à philoſophis ſenſibilis dicitur, is eſt qui infra circuitum Lunæ eſt, & cuncta quæ in eo ſunt patibilia ſunt, & ſupernis poteſtatibus ſubiecta, atq; in eo alia in alia uertuntur, neq; eundẽ tenorem & ſtatum retinẽt, quẽadmodum ea quæ in mundo ſuperiore ſunt: eius partes quatuor, ignis, aer, aqua, terra, quæ elementa dicuntur, eò q; his omnia gignũtur & alũtur, ſiue corpora ſimplicia, quòd in ſe nihil admiſtũ diſparq; ſui atq; diſſimile habent.

PArtes cœli, ſiue regiones, ſeu limites, aut cardines dicere mauis, quatuor ſunt. Oriens nuncupat unde Sol oritur. Occidens, quo demergitur. Meridies, qua decurrit. Septentrio ab aduerſa parte eſt. Ab his quatuor uenti ſpirant: Ab ortu Eurus, q & Subſolanus. Ab occaſu ζέφυρος, quẽ Latini Fauonium uocant. A ſeptentrione Boreas, qui & Aquilo. A meridie Auſter, quem Græci νότον dicunt, hos inq; uentos poëtæ principales ſiue primores uocant. Sunt porrò alia

quæ

quædam uentorum nomina & loca unde ueniant, quos Gellius fusius ꝑsequitur. Verũ hos quatuor primores Manilius his duobus uersibus elegantissimè complexus est.

Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu,
Auster amat medium solem, Zephyrusq; cadentem.

AQua omnis, aut mare, aut fluuius, aut palus, aut fons, aut torrens. Porrò omne mare aut Oceanus, aut Mediterraneũ, aut Sinus, aut Bosporus, aut Eurypus. Oceanus à uoce græca ὠκὺς, quæ uelox significat, dicit̃, eò quòd paribus interuallis, hoc est senis semper horis bis affluit ad littus, & bis à littore remeat. Est autẽ Oceanus ingens & infinitũ pelagus, totum terraꝝ orbem ambiens, magnis æstibus concitum (ita enim alternos accessus & recessus eius appellant) quòd modo inundat campos, modo latè undat & refugit.

Mare mediterraneum, quod & nostrũ dicitur, ab occasu in ipsas terras irrumpit, primũ angustum nec amplius decẽ milibus passuũ patẽs terras aperit: Angustias introitumq; nos fretũ, Græci πορθμὸν uocãt, qua diffundit̃. Alia aliis locis cognomina sumit, quatenus Hispanias abluit, Hispanũ siue Ibericũ aut Balearicũ dicitur, mox Gallicũ, hinc Ligusticũ, ab eo ad Siciliam insulã Thuscũ quod & Tyrrhenũ & Inferũ, deinde Siculũ, postea Ionium & Creticũ, inde ad Tenedũ mare Aegeum: ubi primũ se coarctat Hellespontus dicitur: Propontis ubi sese expandit, ubi iterum in arctum cogitur Tracius Bosporus, ubi iterũ se dilatat pontus Euxinus, qua paludi Mæoticæ committitur Bosporus Cimerius uocatur, & ipsa palus Mæotis.

SInus est littus flexuosum & quasi brachio quodam mare complectens. Sunt aũt sinus maris alioqui multi, quatuor tamen amplissimi, qui magna uastitate sese in terras angustis faucib9 insinuãt, è quib9 aq̃lonaris mare Caspiũ siue Hyrcanum uocat̃ ab Oceano Scythico ꝑ meatos subterraneos ut qdã sentiũt, in hæc loca immissum. Persicus & Ara-

bicus ab Auſtrali mari immittuntur. Perſicus aduerſus eſt Caſpio, Arabicq ponto Euxino. Quartus q̃ mare mediterraneum ſiue noſtrũ, ſeu interius uocatur, de quo paulo ante diximus. Sunt præterea duo, Gangeticus & Magnus, apud ſcriptores haud perinde memorati.

FRetum à feruendo dictum, eò quòd aqua maris iſthic eſt ferueat atq; ebulliat inſtar feruentis aquæ, & eſt mare anguſtum terras dirimens.

BOſporus à permeabili bouis tranſitu propter freti anguſtiam dicitur. Duo autem ſunt Boſpori, alter iuxta Byzantiũ qui Tracius, alter in introitu Mæotidos paludis qui Cimerius à Cimerijs populis qui iuxta accolunt dictus.

Εὔριπος eſt rapidũ illud mare inter Eubœam & Bœotiã, quòd die quolibet ac nocte ſepties curſum mutat: fluit ac refluit: in quem, cum naturã eius inueſtigare non poſſet Ariſtoteles, ſe præcipitauit his uerbis: Ariſtoteles non capit Eurípum, capiat Eurípus Ariſtotelem.

De Terra.

MVndi machina ita diſpoſita eſt, ut terra, quam à terendo dictam exiſtimant, in medio omnium poſita ſit, quam mare cingit, non tamen undiquaq;, uerum ſuperficiẽ ſublimem et ſupra aquas extantem habet, quam Deus Optimus Maximusq; ab aquis immunem ac nudam eſſe uoluit, quo et ab hominibus et reliquis animantibus q̃ ſpirant habitari poſſet. Superficies aũt terræ, q̃ extra undas eminet, ita eminet, ut ex ea & circumfluis undis corpus rotundum efficiatur. Circa aquã aer, circa aerem ignis eſt purus atq; integer globum Lunæ attingens. Omnis uero terra aut inſula, aut iſthmos, aut continens eſt.

VInſula, eſt terra quæ undiq; aquis claudítur, proprie aũt mari, & à ſalo hoc eſt à mari dicitur.

Iſthmos

Isthmos, est breuis quædã terræ ãgustia, qua peninsula quam Græci χερσόνησον uocant, continenti cõmittitur. Sunt peninsulæ siue χερσόνησοι celebratiores apud Geographos quinq;. Chersonesus aurea, Peleponnesus. Chersonesus Tracia. Chersonesus Taurica. Chersonesus Cymbrica.

Continens, est ea terra quæ non ex omni parte ambit mari, quasi coniuncta et continua: eius tres sunt partes, Europa, Africa & Asia.

De quinq; zonis.

HAud quaq; hoc loco temere sermonẽ nostrũ ad zonas conuertemus, quoniam situ earum ob oculos posito cætera quæ de Europa, Africa & Asia dicentur, intellectu erunt proniora. Terra igitur quasi quibusdam redimita est cingulis, quos et zonas et fascias appellant.

Zona est spacium cœli inter minores circulos cõpræhensum ad superficiem terræ collatum. Sunt aũt circuli zonas dirimentes quatuor, duo Tropici, Arcticus & Antarcticus. Zonæ uero quinq;, è quibus duæ maximæ inter se diuersæ infesto rigore & æterno gelu obriguerunt, è quibus altera Arctica, Antarctica appellatur altera, Media quæ & torrida dicitur Solis ardoribus torretur. Duæ aũt inter mediam & extremas habitabiles sunt, quarum altera nostra siue Aquilonaris, Australis siue antipodum uocatur altera.

De circulis Sphæræ.

OMnis circulus sphæræ aut est maior aut minor, Maior qui diuidit sphæram in duo æqua. Sunt aũt circuli maiores numero sex, de quibus summatim dicemus.

Aequator, qui undiquaq; suis partibus æquè à Polis abest, sic dictus, quòd Sol in eo decurrens noctem diei æquat,

id quod in anno bis cõtingit, semel in Martio Sole primam partem Arietis tenente, iterum mense Septembri cum Sol ingreditur primam partem Libræ.

Zodiacus qui & signifer, ab effigie animalium quæ in eo sunt. ζῶον enim Græcis animal notat, is æquatorem in duobus locis, quæ sunt principia Arietis & Libræ dirimit, cuius altera medietas Aquilonaris, altera Australis dicitur. Et cum natura reliquorum circulorũ incorporalis sit, & sola lõgitudine censeat, in Zodiaco tantũ signorũ capacitas latitudinẽ exigit. Linea quæ eũ mediũ secat & in duo æqualia ultro citroq; partit, Ecliptica dicitur, eò quòd cũ Sol & Luna pariter cursum suũ in eadem cõficiunt, eclipses fiunt. Insignit aũt Zodiacꝰ duodecim signis, quæ sunt: Aries, Taurus, Gemini, Cãcer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. E quibus priora sex Arctica, reliqua Antarctica uocantur, quæ Manilius duobus, his uersiculis notauit.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; Scorpius, Arcitenẽs, Cap, Amphora, Pisces.

Meridianus circulus maior est, qui per mũdi polos & punctũ, quod nobis supra uerticem est, Arabibus Zenith dictũ, ducitur, in quem cũ Sol incidit, medios dies, mediasq; noctes efficit, hic circulus à meridie in septentrionem uersus immotus est. Verum in ortum & occasum ad quemuis passum, si scrupulosius rem tractare uolumus, meridianus uariatur.

Horizon qui et finitor dicitur, est circulus maior, qui conspectam mundi partem ab incõspecta, hoc est hemisphæriũ supra terram, ab hemisphærio quod est infra terrã dirimit. Et quoniã acies humani oculi ad uerum cœli finem non potest peruenire, cõtum aspectus uniuscuiusq; circumferendo oculos circumscribit, propriũ sibi cœli Orizonta & terminum facit.

Colurus

Colurus solstitiorũ, est circulus maior per principia Cancri et Capricorni, et polos mundi ductus.

Colurus æquinoctiorũ, est circulus maior p̃ polos mundi, & principia Arietis & Libræ ductus. Dicũt Coluri quod Græci κολοῦρα mutila & accurtata uocant. Coluri em̃ partes aliquas nobis inconspectas habent, reliqui enim circuli integri in mundi circumactu conspiciuntur.

Est præterea alius circulus, & ipse maior, qui Græce γαλαξία, latine orbis lacteꝰ dicitur, ductus p̃ principia Geminorũ & Sagittarij, atq; is solus ex omnibus circulis subiectus est oculis, cum cæteri cogitatione magis q̃ usu deprehendantur, quem ideo lacteum uocatum putant, quòd eius defluuio uelut ex ubere aliquo fata cuncta lacteſcunt, siue quòd tam densus est illius fulgor ut lactis speciem præ se ferat, sed quoniam in Astronomia ferè nullus est illius usus, eò sphæræ non iungitur.

De Circulis minoribus.

CIrculus minor est qui sphærã nõ diuidit in duo æqua. Sunt autem circuli minores numero quatuor.

Arcticus, est circulus minor, quem polus Zodiaci circa polum mundi Arcticum describit.

Antarcticus est circulus minor quem polus Zodiaci circa polum mundi Antarcticum describit: absunt autem poli Zodiaci à polis mundi. 24. partibus.

Tropicus Cancri, qui & solstitialis, est circulus minor, quẽ Sol dum primam partem Cancri tenet describit, & qui omnium qui à Sole describuntur maxime septentrionalis habetur, in quem cum Sol se receperit solstitiũ æstiuũ peragit, longissimusq; totius anni dies, breuissima q; nox exit. post hanc reciprocationem Sol in septentrionem ultra non progreditur.

Tropicus

Tropicus Capricorni, est circulus minor, quem Sol initium Capricorni tenens describit, aut quem Sol dum longissime abit in Austrũ efficit, atq; id tempus bruma dicitur, siue solstitium hyemale, quòd sol in eo brumalem reciprocationem facit, maximaq; totius anni nox, minimusq; dies efficitur. Tropici autem dicti ἀπὸ τοῦ τροπέω, quod Græcis uerto est, nam sol dum est in istis circulis, aut uertitur à nobis, aut ad nos. Hæc de circulis omnibus quibus cœlum cingitur sufficerint.

Breuis terrarum descriptio.

VNiuersus terrarum orbis in tria diuiditur. Europã, Africam, & Asiam. Ab occasu solis & freto Gaditano intranti ad dextram Africa est ad Nili fluenta usq;. Ad sinistram ad Tanaim Europa. Vltra quicquid est, Asia est.

EVROPAE DESCRIPTIO.

AB Europa ferè omnes Geographi inchoãt, tum quòd est habitatissima, tum quòd reliquis & ciuilitate morum, & ingenijs, & armorum gloria semper fuit superior. Huic autẽ id nominis est ab Europa Agenoris regis Phœniciæ filia, quã Iupiter in taurũ mutatus ex Phœnicia auexit. Hæc autem ab ortu clauditur Tana fluuio, qui & Silis & Dion à Barbaris hodie dicitur. Huius fontes sunt in Rhiphæis montibus, atq; duobus ostijs euoluitur in Mæotidem. Habet præterea ab ortu paludem Mæoticam, Bosporum Cimerium, pontum Euxinũ, Bosporum Tracium, Propontidem, Hellespontum, & mare Aegæum. Ab occasu terminatur Oceano occidentali. A septentrione Oceano septentrionali. A meridie mare nostrum habet, & fretum nostro æuo strictũ Sibiliæ dictum.

Hispania

HISPANIA.

Hispania prima Europæ ab occasu, quam tergori bubu lo Strabo comparat, ea, nisi qua Galliam tangit, pela go undiq; cingitur: ubi Galliæ adhæret angusta. A solis or tu Pyrenem montem habet. Ab occasu Oceano occiduo terminat. A septentrione Cantabrico. A meridie fretũ, cui & ab Hercule & à Gadibus nomen, simul & mare nostrum habet. Ea est duplex: Citerior & Vlterior. Citerior quæ & Taraconensis, est citra Iberum fluuium, ut quidã ueterum dixerunt. Verum re diligentius perpensa, quicquid terrarũ iacet ultra Iberum ad Collimicia Bethicæ et Lusitaniæ et ad Celticum promontorium usq;, quod mare & terras distermi nat, Taraconensi ex sententia ueterum tribuitur, sic ut Du rius amnis qui est Lusitaniæ à septentrione terminus, hanc claudat à meridie, quare tribus maribus excipitur: Occiduo, Cantabrico & Iberico. Clarissimi Hispaniæ ci terioris populi sunt: Cantabri, Celtiberi, Asturos. Vrbes, Numantia Hispaniæ olim decus, & quamuis opibus Car thagini, Capuæ & Corintho haud quaquam par, uirtutis tamen nomine has superauit omnes: in colle modice edita sine muro sita, ad Durium amnem quatuor millibus militũ Romanorum exercitũ quadraginta millium per annos qua tuordecim continuè & cohærenter sustinuit, & pudendis etiam cladibus affecit: triginta enim millia Romanorum à Numantinorũ quatuor millibus uicta & fusa sunt: Sagun tum iuxta fluuium Iberum, societate fœderecq; coniunctum cum Romanis, eò calamitatis longa Hannibalis obsidione redactum, ut ciues extructo in foro igni, quicquid erat præ cioſarũ rerum in eum conijcerent, ac postremo ne in manus irati hostis uenirent, se suosq; liberos eodem præcipitarent.

Cæsarauguſta in Celtiberis, Barchino cognomine Fauentia, Valētia colonia tribus millibus paſſuum à mari remota. Taraco unde Taraconēſis Hiſpania nomen adepta eſt, Scipionum opus, ſicut Carthago noua Pœnorum. Amnes, Hiberus & Rubricatū. Iberus ex monte Vindio in mare Balearicum infunditur, mons noſtro tempore Ronciuallis, etiā Rauanella dicitur. Vltra Rubricatū ad Pyrenen Ceretani, dein Vaſcones habitant.

In Taraconenſi hac ætate ſunt hæc regna: Nauarra, cuius caput eſt ciuitas Pampelona, Caſtella: urbes habet Toletum & Salmancam, Catalaunia, ubi Valentia, Taraconia, quā & Arragoniam corrupte dicunt, ubi Sarragoſſa urbs, Galatia nūc Galitia ubi Cōpoſtella urbs templo diui Iacobi inſignis. Ptolemæo ut auguramur Flauiū Brigantiū nominat.

Vlterior, ea eſt quæ in fretum Herculeū & Oceanum occiduum inclinat: Prouincias habet Bethicā & Luſitaniam.

Bethica quæ nunc in Granatæ nomen abijt, eò fortaſſe quòd terra ipſa coccum ferat; à Bethi fluuio eam mediā ſecante dicta eſt. Ab ortu habet eam lineam, quæ à ſinu Virginiano aut Baleariā urbe ducitur ad Anam fluuium uſq; à limite occiduo Oceanum occiduum, ab arcto Anam amnem, A meridie fretum cui à Gadibus nomen inditū eſt. Vrbes in ea clariſſimæ, Iſpalis quæ nunc Sibilia eſt, & Corduba Senecæ & Lucani poetæ patria, Carthēia quā Græci Tarteſſon uocant, mons Calpe, Abylæ quem ex aduerſo Mauritania tollit obiectus, columnas Herculis utrunq; nominant. Mauri quos corrupta uoce Maranos uocant, ingēti hominum numero Hiſpaniā olim ingreſſi, eam q; uniuerſam grauiter multis annis afflixerunt, at uirtute regum ex reliqua Hiſpania electi, Bethycæ nobiliſſimæ eius terræ parti aliquādiu inhæſerūt, neq; inde ullo pacto ſummoueri poterāt, donec Ferdinandus rex, auus Caroli Cæſaris, & Ferdinandi

Romano-

Romanorum, Bohemorũ, & Vngarorum regis, in cætera Hiſpania late imperitãs, eos opeſq; eorum aſſiduo bello attriuit, tandem tota ſui regni mole adortus, regnũ ab hac peſte purgauit, et Melem Maurorum regẽ unà cum urbe regia in poteſtatem ſuam redegit.

Luſitania à luſu Liberi patris dicta, hodie Portugallia, gens apud Hiſpanos ampliſſima, et quæ plurimis annis Romanorum armis reſtitit, ab aurora habet eam lineã quæ eſt ab Ana fluuio ad Darium, ſiue Carpetanos, Vetiones, Vaccæos & Callaicos celebres populos, ab occaſu Oceanum, à cardine meridiano Anam fluuium, à ſeptent. Doriam, urbs in ea celebris Vlyſippo nũc Liſbona; flumina, Anas ortus in citeriore Hiſpania, Tagus in quo auri grumulæ uiſuntur, & Dorias, poſtea Lethæ quod plericq; Limæã uocãt, Latini obliuionẽ. Vnus in ea mons Lunæ eſt, ꝑterea nullꝰ. Circa Tagum equas uento Fauonio concipere plurimi ſcriptores prodidere, & partũ inde fieri perniciſſimũ, ſed triennium uitæ non excedere. Hiſpanorũ omnium inquieta, auidaq; in nouas res ſunt ingenia, & uelocitate corporum aſſueti, apti atq; leues ad concurſandum inter montes & ſaxa, punctim magis quàm cæſim hoſtem petere ſoliti.

GALLIA TRANSALPINA.

GAllia quæ hodie Francia, Lemano lacu, qui & Gebennicus & Loſanenſis id temporis dicitur, tum Iura & Gebennicis (quos Cemenorũ Græci dicunt) montibus in duo latera ſciſſa eſt: alterum in Oceanum Britannicũ excurrit, quod totum Galliæ Comatæ tribuitur. Alterũ quod à Gebennico & Iura montibus ſiue Rhodano fluuio in mare noſtrum uergit, Narbonenſis Gallia uocatur. Tota autem hæc Tranſalpina Gallia hinc à Varo & Alpibus, illinc à Rheno

inter mare Gallicum internum & Oceanum Britannicum ad Pyrenen montem & mare Aquitanicum, quæ sunt illi ab occidente, promittitur.

GALLIA COMATA.

COmata à capillorũ cultu dicta, & quæ obuertitur Oceano, in tria populorum genera abijt, nobilibꝰ inter se distincta amnibus: A Rheno ad Sequanã Belgæ sunt, inde ad Garumnam Celtæ, quamuis ueteres Celticam Garumna fluuio ab occasu terminabant. Verũ Augustus Cæsar quicquid terrarum & populorum iacet inter Garumnam & Ligerim Aquitanicæ adiecit. Inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania, quæ eadem Aremorica est.

DE PARTIBVS GALLIAE COMATAE.

VErum ut fusius de Gallia Comata dicamus, Aquitanica ab ortu Ligerim habet, ab occa. Oceanũ Aquitanicum, à septen. pariter Ligerim & Lugdunensem Galliam, à meridie iuga Pyrenæi montis & Narbonensem. Aquitani uero à natione Gallica & corporis habitu & lingua discriminantur, Hispanis q̃ Gallis similiores. Populi in ea celebres & antiquum nomen retinentes, Santones, quoꝝ urbs Mediolanum in loco arenoso positũ, ager iuxta nullarum frugum nisi milij ferax. Pictones nunc Pictauenses. Bituriges quorum urbs Auaricum, hi quondam ut Iulium Cæsarem pabulatione et commeatu prohiberent, uicos et oppida q̃ munitione aut loci natura tuta nõ essent incendebãt. Horum exẽplum Franciscus Gallorum rex hoc tẽpore (ut opinor) sequutus, quo Carolum Cæsarem quoq; excluderet à commeatu cum magna suorum acerbitate idem fecit.

Ausci

Auſci qui nunc Auſcitani, Guaſcones antiqua gens Hiſpanica, quæ in hunc locum demigrauit, & Borbonia ducatus nouum nomen.

DE GALLIA CELTICA.

CEltica â Celto Polyphemi filio dicta, quæ eadem Lugdunenſis, ab ortu Sequanam fluuium, ab occaſu Ligerim, & ſupra hoſtium Ligeris Oceanum habet: Oceano Britannico â ſepten. clauditur. A meridie monti Cæmeno & Galliæ Narbonenſi occurrit. Celtarum clariſſimi populi ſunt Heduí, qui adhuc inter Burgundiæ populos uetus nomen retinent, quorum metropolis Cabyllinum, & Sequani Burgundiæ comitatum hodie incolentes. Northmanni ad Sequanam fluuium in ortum, ex ea Germaniæ parte temporibus Caroli Magni olim per Oceanū in hæc loca ꝓfecti, quæ Dania dicitur, ſic dicti, ꝙ North Germanis ſeptentrionē notat, Mannus uirū, quaſi diceres ſeptentrionalis uir.

Britanni in occaſu, ſub quibus Turonia, & Conſopitenſes, & Ambij. Vrbes Lutecia Parrhiſiorum, Lugdunū, Aurelia Turoniæ, Nantes Britānorū, Rothomagus Northmannorum.

GALLIA BELGICA.

BElgica ab ortu habet Rhenū & Germaniā. Ab occaſu Sequanam fluuium. A ſeptentrione Britannicū Oceanum. A meridie Iuram montem. Omnium Gallorum fortiſſimi ſunt Belgæ, ut Cæſar ſcribit, tum ꝙ mercatores ad eos miníme commeant, neq; ea quæ ad effœminandos animos pertinent important, tum quòd Germanis proximi ſunt, quibus cum continue bellū gerunt, & quorum uirtute

assidue exercentur. Ptolemæus eum tractū Galliæ, qui est inter Obrincū fluuiū, qui hodie Mosella est, Rhenū & Iurā montem Germaniam superiorem nominat. Reliquam partem inter ripas Rheni & Mosæ usq; ad Rheni hostia inferiorem. Superiorem habent Rauraci, ubi hodie Basilea est. Vnde nō procul abest mōs Brisiacus, & Sungauia, & Brysgoia, cuius caput Friburgum studio literarum insigne.

Lingones nūc Lothoringi, Mediomatrici, Tribochi, siue Tribotes, qui à Meti urbe nunc Metenses sunt. Argentoracenses ubi hoc tempore Alsatia regio à flumine Alsa, quā illam hodie quoq; appellant, & ubi Selestadium urbs.

Vangiones ubi Spira, olim Neomagus. Nemetes, ubi Bormatienses. Maguntiaci quorū urbs Maguntiacum ad huc uetus nomen retinens, eò etiam memorabilis, q; imprimendorum librorum artem ostendit. Inferiorem incolunt Vbij, nunc Colonienses. Morini & Sicambri hodie Gelrij, Cleuenses & Flandri. In quorum littore portus Gessoriacus, nunc Cales uocatus, unde cōmodissimus & breuissimus traiectus in Britanniam. Tungri ubi nunc Brabantia, & ubi ducatus Iuliacensis, Menapij, & Gugerni.

Eburones, quorū pars maxima inter Mosam & Rhenū colunt, & Menapiorum finibus propinqui, hodie Leodienses dicti. Postea clarissimi Belgarū Treuiri, quorum urbs Augusta Treuirorum. Inde Neruij hodie Tornacenses, quorum agros lambit Scaldes fluuius, & Arduennæ syluæ totius Galliæ maximæ unà cū Menapijs impliciti.

Batani quibus æuo nostro Holandis nomen est. Quorū urbes, Traiectū inferius, nostrate lingua Vtrich, nam est alia eiusdē nominis urbs ad ripam Mosæ fluminis, quæ Traiectum superius uocatur, nostra lingua Masdrich, haud procul à Corioualo, nunc Aquisgrano. Amsterdamū, Rhoterodamum, Asciburgium. Et nostro seculo Belgica habet utranq;

utranq; Burgundiam, in Heluetios, Lothoringiam, ducatum Lucelburgensem, Gelriam, Hollandiam, Flandriam, Brabantiam, Picardiam, & Hannoniam diuisam.

GALLIA NARBONENSIS.

NArbonensis Gallia à uestium laxitate olim Braccata dicta, amne Varo, & Alpium iugis ab Italia discreta ab ortu, monte Pyrenæo terminatur ab occasu. Latus septentrionale Gebẽna, qui Græcis Cemænus dicitur, & Iura montes claudunt. A meridie mari interno alluitur. Populi in ea insignes Tectosages, quorum urbs Tolossa, ætate nostra Longodocham hunc tractum uocamus. Vocunciq; hodie Sophoienses, urbs eorum Vasio. Allobroges nunc Sabaudienses, siue Delphinatus, urbs Vienna. Cauares in quorum finibus Auenio. Salyes Arelaten, & aquas Sextias, à Sextio quodam ædificatas, et Niceam habent. Narbo Martius supra exitũ Atacis fluminis, Narbonensemq; lacum iacet, & in ora locoq; petricoso Massilia, à Phocaensibus condita. Seganus rex tum Galliæ præerat, à quo condendæ urbis locũ, Græci impetrarant. Ab his Galli cum prius essent efferati & immanes, usum uitæ cultiorem, posita illa barbaria, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. Hæc urbs uel nostro æuo, ciuilitate morũ, & opũ magnitudine, & uirorum dignatione nulli posthabenda, omnibus qui religionis prætextu, uitã inertem & otiosam sectarentur. Portas olim clausas habuit, atq; rempub. pariistocratiam rexit. Amnes, Arar, qui nunc Sagona, is ex Alpibus delapsus, Sequanos et Heduos discernẽs, ppe Lugdunũ Rhodano miscetur. Rhodanus non procul ab Istri Rheniq; fontibus ortus, deinde Lemanno lacu, qui Losanensis nunc est acceptus, integer, & quantus intrauit egreditur. Inde in

de in Occidentē aliquandiu ablatus, cursu in meridiem tandem abducto, inter Volcas, qui Auionienses nostra tempestate sunt, in mare Ligusticum emittitur. Isara, Druentius, Arauraris, & Orobus ex Gebenna demittuntur.

Galli bellorum auidissimi sunt, uerum laboris & sitis impatientes, ut Germani. Et natura Gallis corpora magna magis q̄ firma dedit, eò Gallis omnibus, omnis in primo impetu uis est, in certamenq̄ omne plus terroris, quàm uirium ferunt. In omni Gallia, eorum hominum qui sunt aliquo numero atq̄ honore, genera olim erant duo: plebs enim penè seruorum habetur loco. Sed de his duobus generibus, alterum est Druidum, alterum equitum: illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica & priuata procurant. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa, concurrit, & ferè de omnibus controuersijs publicis, priuatisq̄ constituunt. Si quis decreto eorum non stetit, sacrificijs interdicunt. Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum & sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum sermonemq̄ defugiunt. Alterum genus erat equitum, ij cum bellum aliquod inciderat, omnes in bello uersabantur, ut illatas iniurias propulsarent, atq̄ eorum, ut quisq̄ erat genere copijsq̄ amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesq̄ habebat.

DE GERMANIA.

SAtis cōstat Germanorum uocabulum q̄ Tuisconum et Teutonorum multo esse recentius. Tuiscon & Mannus filius gentis Germanicæ autores & conditores extitere. Mannus unde superior Germania, uel etiam nostro seculo Alemannia dicta est, tres filios habuit: Ingæuonem, Herminonem, Istreuonem, à quibus tria Germanorum genera fluxe-

fluxerunt. Ingæuones Oceano proximi. Istæuones Danubij accolæ, his interiecti Herminones, siue Hermiones dicere mauis. Germanorum autem appellatio tum demum cœpit, cum Tungri Rhenum transgressi Gallos expulerunt, & commilitones nunc Tungros se inuicem uocarent, nunc Germanos, quasi totum Mannum, unde gentis suæ origo referrent, quæ quidem appellatio usq; adeo processu temporis inter milites gratiosa, ut tandem in omnes populares dimanaret. Cæterum Germania à Gallis Rheno fluuio diuidit, à Rhetis & Pannonibus secundũ uetustos Danubio, uerum quia Germani promouerunt ueteres Germaniæ limites, Neoterici ab occasu Solis Scaldem fluuium, qui Antuerpiam præterlabit. A meridie Alpes Germaniæ terminos statuũt. Ab ortu Istulam fluuium olim Vandalum dictum habet, cætera Oceanus ambit. Ea in duas partes diuisa est, ut quæ Alpib⁹ & Danubio est uicinior superioris, altera quæ Oceano obuertitur, inferioris nomen habeat. Sunt qui magnam eam uocant, quæ intra Rhenum, Danubium & Istulam est. Et quoniam in mentionem Rheni & Danubij incidimus, haud abs re erit si paucula quædam de his dixerimus.

Rhenus ex Adula monte, qui Rhetos ab Heluecijs disiungit, profluens, mox à fontibus duos lacus efficit, Venetum à colore marino qui cæruleus est nominatũ, hodie lacus Cellæ nomen habet; & Acronium qui tum Constantiensis, tum Pothmicus, tum etiam Brigantinus dicitur, quem Rheti accolunt, post ripis longe lateq; recedentibus multa insignia præterfluit oppida. Cataractas instar Nili habet duas, alteram non procul à Schafhausia, alteram ad Lauffenburgum, unde ex alto atrox & feruens defluit, tandem tribus hostijs in Oceanum Germanicum exit, è quibus primum Helinum siue Vahalis uocatur, alterum & ueteribus incognitum Lecca, postremum Fleuum Germanis Issula, totũ hunc tractum

qui est intra Rheni hostia Battaui, quorum antea meminimus, tenent.

Danubius molli clementerq; edito iugo Adnobæ montis effunditur, qui est pars Alpiũ, uicus ad quem fonte non admodum magno oritur gentilitio uocabulo Tuneschingen dicitur, omnium fluuiorũ qui εἰς τὴν ἔσω θάλασσαν, id est, in internũ mare exeũt, post Nilum maximus. Labitur per innumeras gentes, & sexaginta amnibus receptis, medio fere numero eorũ nauigabili septem hostijs alio q̃ exoritur nomine in pontum Euxinum euoluitur. hostiorum nomina hæc sunt: Sacra Peuca, Thyagola, Boreum, Dinariacum, Pseudostomium, Calistomium, septimi hostij nomen apud scriptores non ponitur, siue quòd nullum sit, siue quòd inconspicuũ, quòd multa ulua tegitur, sit, eoq; nomẽ non inuenit, Danubius ripas gelu iungit, duratusq; glacie ingentia plaustra & ingentes exercitus transportat, eò etiam memorabilis, quòd medijs caloribus alueo sese quotannis effert, ingentiq; ui aquarum propinqua sibi loca Nili modo rigat.

HELVECII,

GEns Heluetiorum hoc tempore Germaniæ tribuitur, quòd sermone, cultu & uiuendi ritu à Germanis non distat, quamuis antiquitus inter Belgas habebatur. Rhenus ab ortu agrum Helueticum à Germanis diuidit, ab occasu Iura monte, qui est inter Sequanos & Heluetios, terminat, à meridie ut Cæsar scribit Rhodano & lacu Lemano, cuius accolæ Alemãni, et totus ille tractus ut quosdam sensisse uideo Alemannia dicitur, à septentrione Augusta Rauricorũ quæ nunc Basilea est, finitur. Gens à dominatu regio libera, & quæ per δημοκρατίαν Rempub. regit. Cæterũ salis inopiã hæc regio patitur, & frumentum plerunq; anguste uel propter

pter Solis & cœli inclementiam prouenit, uel quòd pro multitudine hominum modicis terræ finibus circumscribitur: Vrbes, Berna gentis caput, Schaffhusium, Lauffenburgum, Vitudurum, Salodurum, Tigurum, Vri, Lucerna, Santo Gallus. Flumina, Rhenus, Arula, Turus.

RHETI.

RHeti Tuscorũ proles, à Gallis pulsi duce Rheto, inter Rhenum, Lycum & Danubium & alpium iugis consederũt, hinc Insubribo, inde Carnis, ppinqui & Aquileiæ, gens ex antiquo nihil præter sonum linguæ, quem pauci nec incorruptum retinent. Hoc loco succurrit illud admonere ueteres Rhetiæ limites à Rheno ad Lycum, ubi Rhetia superior, & ultra Lycum ad Oenum, ubi Rhetia inferior uocabatur, procurrisse, & à Danubio ultra alpes, Veronam & Comum usq; , & Rhetorum nomine etiam nunc censentur Lepontij, qui & Grysones nostrate lingua Grapunder, Engedini, Churienses, Athesini, quorum caput Oenipons, Tridentini, Hegouij, quibus è regione ad alteram Rheni ripã Turgauia obiacet, Algauij, Vindelici, Vlmenses, comitatus Burgouiensis, & is tractus cui nomen est Risa Vindeliciæ insertus, unà cum comitatu Oetingensi. Rhetiæ multo maximam partem Sueui hodie occupant, mons in ea præaltus Rhetico Heluetios spectans,

VINDELICI.

VIndelici qui & ipsi Rheti sunt, Lyco & Rhetia ab occasu, Oeno & Norico ab ortu finiuntur; à septentrione Danubium habent, à meridie eas alpes habent, quæ supra Italiam in ortum extenduntur; Vrbes, Augusta Vinde-

licorum, & Vlma, Ilerus & Plauus ibi se in Danubium exonerant, Damasia lingua nostra Diessen. Chelheymum quo cum Austriaci aut Vngari ueniunt, indignant sibi acetum pro uino in conuiuijs apponi, Chemmatum olim Cambodunũ, Monacũ ad Isaram fluuium principũ sedes, Fruxinũ Germãis Freysing, Ingolstadiũ, Ratispona siue Reginoburgum, Straubingũ, Techendorfium ad hostiũ Isaræ fluminis, Vilsouia à Vilso fluuio dicta, Patauia Ptolemæo Pœdicum dicta, Vindelicia penè tota in Bauariæ nomen abijt.

NORICVM.

NOricum ab ortu Onasum fluuium habet, ab ea parte qua sol decidit Oenum & Vindelicíam, à septentrione Danubium, à meridie eas Alpes quæ imminẽt Carnis & Histriæ. Huius regionis populi nunc Bauari, olim Tauriſci erant. Coniectura eò uocor, ut credam Noricos à Boijs gente Gallica pulsos concessisse in eum locum, qui est ultra Danubiũ, à Ratispona Norimbergã & Herciniã syluã usq; id quod Norimbergensis urbis, & totius tractus appellatio cõfirmare uidetur. Noricgẽi em̃ Germanis Noricoꝝ terrã notat: iam facile cuiuis liquere potest, non ab indigenis Noricis, sed exulibus, & à sedibus suis eiectis, eam terrã nomẽ inuenisse. Antea enim Narisu, Turones & Martungi ea loca tenebant: ubi hodie Amberga ferrifodinis clara, Vueyssenburgum, & Palatinatus superior. Cæterum Norici illius urbs præclara est Salisburgum à Salza fluuio dictum, Oetingum, Prunnouia, à qua non procul clarissimum cœnobium Reycherspergum, ad ripam Oeni fluminis situm: cui hoc tempore præpositus est Hieronymus Vueyrer, uir & sanctimonia uitæ, & morum ciuilitate insignis, mihi & Christophoro meo à Trenbach Canonico Patauiensi, Rudolphi

dolphi à Trenbach, honorati illius, & reuera nobilis uiri filio, coniunctissimus: cuius humanitatem & liberalitatem in me & meos, his iniquis temporibus sæpe expertus sum. Deinde Scherdingum, Purbachium, Georgio Purbachio clarissimo Astronomo nobilitatum. Lyncium priscis, ut cõiectura est, Aredata, maximum post Franckfordiam, totius superioris Germaniæ emporium. Vuelsium Trauno fluuio adiacens, Laureacum. hodie Anasum, ab Anaso flumine qui paulò infra in Danubium exit. Et quicquid terrarum à confluuio Oeni & Danubij ad Onasum flumen interiacet, hoc seculo regionis supra Onasum nomen habet, cuius caput est Lincium, Archistratego Austriæ subiectum.

PANNONIA.

PAnnonia sequitur, cuius incolæ Græcis Pæones, Latinis Pannones à Pannone rege uocantur: ubi Alpium iuga clementiora esse incipiunt, paulatim à septentrione in meridiem uersa, unà cum Illyrico molli deuexitate in ortum procurrit usq; ad confluuium Saui & Danubij. Pannonia Ptolemæo teste, duplex. Superior quæ nunc Austria. Inferior, quam Vngariam uocamus. De Superiore iam, de inferiore suo loco dicturus.

PANNONIA SVPERIOR.

PAnnonia superior ad solis ortum Leythæ fluuio iungitur. Ptolemæus Rabonem huic ab ortu terminum statuit, Onaso fluuio, & Norico ad occasum. Sunt qui Cætio monte ab eo cardine finiunt. Teium flu. & Morauiam à septentrione, nam eò usq; hodie protenditur. Ab ea parte qua decurrit Sol Mõtana Styriæ, gleba uber & fertilis omni genere

ni genere frugum, & quæ minimo impendio colitur. Vili enim & ſtrigoſo equo agricola in eo tractu, qui campus Tranſdanubianus ſiue Marchianus dicitur, ubi olim Chetuari & Parmecampi fuerunt, terram arat. Marga, citra quam agri in Bauaria infœcundi, & macri ſunt, quid ſit Auſtriacis incognitum eſt. Crocum ita generoſum gignit, cũ quo nullum aliud de bonitate certare poteſt. Vinum naturæ amicum. Vrbes & antiquæ & nobiles multæ, maxime tamen inſignes: Styra, Vadenhoffum, Melicum, Caſtellũ, antiquitus Claudionum, Cremſium, Cetro caſtellum, hodie Zeyſſelmaur, Santohypolitus, Neuburgum duplex: alterũ à cœnobio, à frumẽto alterũ dictũ. Petronella nũc uicus, magnæ olim urbis, id qđ rudera et ruinæ indicãt ueſtigiũ. Noua ciuitas, Pruck ad ripã Leythæ fluminis ſitum, Hamburga: omnium tamen maxime inſignis Vienna, olim Flauiana, ſiue Iuliobona dicta, ſtudio literarum admodum nobilitata, & quo nullum aliud præſtantium Mathematicorũ ſerax fuit. Hinc prodierunt Georgius Purbachius, Ioannes à mõte Regio, Ioannes Stabius, Andreas Stiborius, Georgius Tanſteterus, Andreas Perlachius, Petrus Appianꝰ, Ioannes Vogelius, Symon Gryneus: eam uineta coronant, ædes ciuium magnificæ, ut uel principes hoſpites accipere poſſint, & quæ feneſtris patentibus uentos accipiũt & tranſmittunt, nec unq̃ aere pigro & manente, eò quòd ſingulæ ſingulas areas habent, ingraueſcunt. Frequens alienarum nationum ad hanc conuentus: Verum quæ tuendæ hominis uitæ neceſſariæ ſunt, magna copia. Et quamuis his continuis nouem annis, à morte Ludouici Vngarorũ regis graiter & miſere afflicta ſit, non modo à Turcis, ſed etiam ab improbitate noſtrorum militum, eam (ſine offenſione quod dicam accipi uolo) ſi non omnibus ciuitatibus totius Germaniæ prætulerim, certe æquauerim. Flumina Auſtriæ

Vrbes Auſtriæ.

Vienna.

ſunt

Flumina Austriæ

sunt: Danubius olim regionis terminus, nunc medius eam secans, Onasus, Traunus, Erlaphus, qui ad Cellam templo Virginis matris insignem ex lacu amœnissimo oritur, Traisius, Ypsius, Melicus, Marchia, Teius, qui Morauiã ab Austria disiungit, Campus uario piscium genere nobilis, Leytha, & in quo scitissimi saporis cancri Suegadus.

Quoniã de his populis qui Danubio & Alpibus clauduntur, atq; hoc tempore Germanorum nomine censentur, diximus: dicendum nunc est de ijs gentibus, quæ Germaniam magnam quã uocant, incolunt, rectéq; nobis initium â Sueuis, quibus uel â monte Sueuo, uel â Sueuo nepote Manni nomen est, sumetur.

Sueuorum gens potentia & hominũ frequentia reliquis Germanis præstat, hi olim ad Albim fluuium centũ pagos habuisse dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus suis excedebant, reliqui qui domi remanserant, se atq; illos aluerunt, hi rursus inuicem anno post in armis erant, illi domi remanebant, uinũ & ea quæ ad effœminandos animos faciunt ad se importari non sinebant. Verum longa dies in diuersa cõuertit hæc omnia. Tradit Cornelius Tacitus, Germanis fœnus agitare & in usuras extendere ignotum fuisse: nunc fœnore apud Germanos nihil usitatius, utiq; apud Sueuos qui ita exercendo fœnori hac ætate studẽt, ut etiam Regibus & Principibus nedum miseræ plebi onerosi sint, cui rei utinam aliquando Principes nostri occurrerent atq; funditus eam tollerent, multum & nobis & sibi & posteris profuturi. Verum hactenus euagari libitum est, nunc eò se se referat oratio unde digressa est. Hi nunc relicto Albi fluuio, Rhetorum quos superiores uocant, fines occupauerunt, & bonam Vindelíciæ partem, præterea iusta eius pars ultra Danubium usq; ad collimitia Franconiæ porrigitur, gens solers, ciuilis, & in

qua

qua rarenter mutũ inuenies, ad oĩa artium genera appoſita.

Omittam nunc de ijs gentibus loqui, quæ, ut ſic dixerim, nuper Germaniæ acceſſere: dicam de ijs, quæ Germaniam magnam, quam uocant, colunt. Occurrunt cum primis Veſpi, ubi Marchionatus Badenſis & Briſgoia, Charithni, nunc ducatus Vuirtenbergenſis, & Stutgardia, cum Tubinga, Intuergorum, & Vargionum regio, ubi Haydelburgũ & Palatinatus inferior. Necarus hæc loca perlabĩ in montibus Adnobijs exortus, multa illuſtria oppida præter fluens, tandem accepto Cochero in Rhenum effunditur.

FRANCONIA.

PRoximi his, quos dixi, ſunt Nitriones, Vſipetes & Tenchteri, ubi ſeculo noſtro Francones, nobilis ac uetuſta Germaniæ natio, quæ Galliæ amplius cꝫ quadringentis annis imperauit, Galliaq; in nomen eorum abijt. Eam ab ortu Bohemi & Norici accipiunt, Rhenus à Solis occaſu. A ſeptentrione Haſſia, Sueui à meridie. Terra frumenti & uini ferax, habet urbes uetuſtas & claras: Babenbergã, quã Radiantia & Pognitius amnes prælabuntur, Rotenburgũ ad Tuberum fluuium ſitum, Forchamum, quod Pontij Pilati cauilloſe & inſulſe patria dicitur, Vuynſhaymum, Suinfordiam & Francfordiam nobile emporiũ ad Mœnum flumen. Herbipolim, cuius urbis Præſul, dum rem diuinam facit, nudatum gladium in altari poſitum habet. Maguntia cum quoq; Franconiæ tribuitur: & ea regiuncula, quam Germani Rhingau appellitant, generoſo uino celebris: & in agro arenoſo poſita Norimberga, quam neq; Bauariæ, nec Franconiæ inſertam quidam uolũt, urbs nobilis & magnifica, quæ Rempublicam ſuam ἀριστοκρατικῶς regit, Pognitius amnis eam interfluit.

Haſſia

HASSIA.

HAssia regio montana, ubi Ptolemæo Tegatri, Longobardi & Catti ponuntur: Rhenum habet sibi occiduũ, Thuringos ab ortu, Vuestphalos et montana quædã à sept. à meridie Franconiam: Vrbes sunt Marpurga, Alsfelda, Cassula Landgrauij, sic enim huius terræ principem uocãt, sedes, Monsregius, Butzbachium: Flumina, Visurgis, Luppia, & quædam alia, Fulda, Lona qui prope Lonsteynum in Rhenum egreditur. Ab Hassia haud procul abest potentatus ille cui nomen Catzenelbogen latine Catti cubitum dicere possumus. Ludouicus ante aliquot annos Landgrauius Hassiæ, quum ad imperium Rhomanum magno electorum consensu uocaretur, maiorem molem dixit imperiũ quàm suis humeris ferri posset: cæterum quia literas ignoraret, id quoq; testatus est obstare, quo minus rem tantam capesseret.

VVESTVALIA.

VVestualia Rhenum sibi habet occiduum, Visurgim à Solis ortu, Phrisios à septen. montana Hassiæ à meridie. Sicambri, Cherusci & Bructeri oli hæc loca habitarunt. Bructeri penitus excisi uicinarũ cõsensu nationũ, seu odio superbiæ, seu dulcedine prædæ. Carolus Francorũ rex, cui à rebus gestis Magno cognomentum fuit, Vuestualos bello uictos ad Christi fidẽ relicta idololatria cõpulit: cæterum cũ sæpiũ rebellarẽt, clandestinos iudices dedit, q mox ut aliquẽ peieraſſe aut aliud flagitium commisisse comperissent, suo arbitrio necarent, nouũ subitariumq; supplicij genus fregit ferociam gentis, ut iam inde quieuerit. Scabini hi iudices nominati sunt. Vuestualia & uini & frumenti inops, potus

est ceruisia. Vrbes sunt, Padaburna ad Amisiũ amnem, Osseburga, Monasteriũ, flagicijs Catabaptistarum hoc tempore uexatum, Prema ad Visurgim, urbs Mindensis ad Visurgim pariter: Flumina, Amisius ex Adnoba monte inter Angriuarios exortus, Vuestualiam & Phrisiam percurrens in Oceanum effunditur. Luppia in ipsa Vuestualia nascens inter Menapios in Rhenũ influit. Visurgis hodie Vesera in mõte Meleboco natꝰ, Vuestualos & Phrisones pererrãs, tandẽ ubi ducatus Brunsuicensis est in Oceanũ euoluitur.

FRISIA.

FRisones Oceani accolæ, ad ortũ Visurgim & Saxones attingũt, Rhenꝰ illis à cardine occiduo est, et Traiectũ, à septen. Oceano aluntur, à meridie Vuestualiam habent: gens ferox, firmo & staturoso corpore, terra paludinosa & uliginosa, eoꝯ pabula laudatissima, in pecuarijs omnis ferè eorum possessio, magna lignorum inopia, & ob id bituminosum cespitem urunt & simum bubulum. Sacerdotes non nisi uxoratos ferunt, ne aliena cubilia suis stupris polluant, adulterij nulla uenia, seueríssimè ea puniunt. Vrbes sunt, Dauentria, Norda, Suollis, Emedem, Gruningum. Flumina Rhenus. Vidrus qui nigra aqua hodie nuncupatur, inter Bisactores minores & Phrisios, ut uidere est apud Ptolemæum in Oceanum exit, Amasius. Hoc loco admoneor, ut planum faciam quo in loco Cauci, tum maiores, tum minores fuerint. Cauci olim eam littoris partem (ut Tacitus sentire uidetur) tenuerũt, quod à Rheno ad Albim usꝙ porrigitur, introrsus etiam ad Cattos immittebantur, sicut omnium gentium quas iam diximus, lateribus obtenderentur, populus inter Germanos nobilissimus, qui magnitudinem suam malint tueri iustitia, quàm cupiditate & impotentia animi

animi aliena inuadere, quieti, nullis raptibus aut latrocinijs dediti, qui minores Phrisiorum, qui maiores Saxonum nomine hac tempestate censentur.

SAXONIA.

SAxonum natio antiquum nomen retinens terminatur ab occasu Visurgi fluuio, ad aquilonem Danos siue Cymbros habet, & mare Baltheum, ad ortũ Odera qui ueteribus Viadrus Prutenis & Silesitis excipitur, à meridie Mœnum & Bohemiam habet. Oritur aũt Mœnus in mõte Pinifero, qui est in ea regione, cui Foytlandiæ nomen sub ditione Marchionum Brandeburgensium, & in altero illo Norico, de quo dixi antea, unde cadunt quatuor insignia flumina in quatuor mundi cardines (mirum dictu) effusa, Mœnus inquam in occasum, in ortũ fluit Aegra & Albi in Bohemia miscetur, Salas in Arcton, & ipse Albi confundit. Nabus per Nariscos decurrens in occidentem Ratisponæ Danubium ingreditur. Vrbes Foytlandiæ ut obiter hoc dicam sunt, Chulmbach, Parreyt, Hoff. Saxonũ regio complectitur Thuringos, quibꝰ ab ortu Misnij, ab occasu Hassij occurrunt, à septentrione Brunsuicia, à meridie Frãconia, Visurgi, Sala, & Mœno clausi, Metropolis est Erfordia, Thuringos à Gothis originẽ traxisse inde dephendi potest, quòd apud Thuringos Gothi gẽtis suæ uocabulo Gotham urbem condiderunt, regio satis fœlix ab ijs quæ ad uictum pertinent, inibi nascitur herba Isatis lanarum infectoribus utilis, uulgo Quadam uocãt, ex qua pleriq; annonam totius anni sibi parant. Diuiditur insuper Saxonicum solum in duas regiones, utraq; Marchiæ nomen habet, quæ noua dicta est Odera fluuio perfunditur, ueterem Albis intersecat, ad cuius ripã urbes Vuitenberga, Magdeburgum, Stendelum,

Osterburgum, Hamburgum, Lubecum, quod â ripa Albis aliquantum receſſit. Noua in auſtrũ, in Bohemos & Sileſitas uergit, cuius urbes Francofordia, Berlinum, Brandeburgum, Stetinũ, Auelburgum. Miſnia pariter Saxoniæ huic, quam ſuperiorem uocant, inſita eſt, inter Salam & Albim poſita, hanc olim Hermonduri & Sorabi Sclauorum natio habuerunt. Miſnia aũt â Meſia lacu, ad quem olim fortaſſis habitarũt, aut â Miſna urbe, cui opinioni libentius accedo, nomen habet: urbes, Miſna, Chemnitium â fluuio qui præterfluit dictũ. Suiccauia olim ſcholaſticæ iuuẽtutis quæ ibi (ut putabaẽ) literas diſcebat ſæua carnificina, Lipſia cuius academia par, uel his quæ maxime præſtare putantur, Altenburgum, Santo Annæ mons, huius regionis mõtana fœta ſunt mineris: amnes, Molta, Albis & Salas. Luſatia regiuncula, quamuis Bohemorum ditioni parens, tamen & ipſa Saxoniæ tribuitur, inter Albim, Oderam & Bohemiæ mõtes interiacet, urbs præcipua eſt Gorlitia, Niſſa flu. eam rigat. Brunſuitia & regio, & eiuſdem nominis urbs quæ Ptolemæo Tuliſurgium, ut conĩcitur, dicta eſt, â Toringis inter Viſurgim & Albim in Oceanum abit, huius tractus clariſſima urbs eſt Lunæburgum. Et in Mechelburgenſi ducatu Rudſtochium ultra Albim in ortũ ubi olim Pharodini.

DE CIMBRIS.

CImbri, quorum regionem Daniam uocamus, ab ortu ſinum Codanum, ab occaſu mare Germanicum, â ſeptent. Schondiam, â meridie Saxoniam habẽt: ingens gloria ueteris famæ huius gentis uel hodie manet. Vrbes Hamburgum & Copenhagum: Hamburgum Ptolemæo forte Tieua dictum. Teutoni his ad ſinum Codanum finitimi fuerunt.

Pomerani

POMERANI ET PRVTENI.

POmerani, quos antiquitas Hermiones & Teutonos dixit, & Pruteni, quorum regio Prussia hoc tempore uocatur, ultra Oderam in ortum & septentrionem habitãt. q̃uis Pruteni utranq; Istulæ flu. ripam accolunt. Hi ab ortu Istulam flu. habent. Ab occasu Saxones, ab Aquilone sinum Codanum, recentioribus mare Balthium, à Balthia insula dictum, à meridie usq; ad Silesiam immittuntur. Ager bonus frugibus, pecoris abundans, uitibus tamen maligni or. Est sanè grauis & pestilens ora Pomeranorum & Prutenorum, quæ per littus extenditur, sed ea portio quæ à mari introrsus recessit salubris. Glessum, quod Pini arboris succus est, & ob id Succinum etiam appellatum in littore illorum colligitur. Vrbes in his locis Vismaria, Sundis, Stetinum, Stohra, Dantiscũ, olim Gedonum, Chunigspergum procerum Teutonicorum sedes, Marieburgum, Torna.

SILESIA.

SIlesia, cuius populi olim Lygij, Danduti & Cogni, ab ortu Sarmatia, & parte Vngariæ terminatur. Ab occasu Sprona fluuio, qui Germanis Spre dicitur & Bohemia. A meridie contigua est Morauiæ. A septentrione Lusatiæ & confinibus Pomeranorum & Prutenorum occurrit. Regio fertilis, & in qua raro annonæ precium augetur. Odera, qui & Viadrus & Gutalus, eam mediã rigat: acceptisq; Nissa, Olla, Lissa, Fleso, & quibusdã alijs, per Marchionatũ Brandenburgẽsem decurrens, iuxta urbẽ Stetinum in sinũ Codanum effluit. Vrbes Vratislauia, gentis caput, Sueynicium Vrsini poëtæ patria, Nissa, Oppela, Teschna, Iegerdorffiũ, Woltpergum.

MORAVIA.

MOrauia, Marcomānis olim habitata, ab ortu Vngariæ & Oderæ occurrit, A limite occiduo Bohemiam, Sileſiam à ſeptentrione. A meridie Teium & Auſtriã ſpectat. Regio piſculenta, ob lacuum & fluminum multitudinem. Vini frumenti & ad eam partem qua uergit in Auſtriam, etiam croci ferax. Vinum eiuſmodi quòd non ſequitur uoluptas, ſed capitis grauedo, & quod potorem non omnium rerum cura eximit. Vrbes, Olomuntium metropolis, urbs in plano ad ripam Marchiæ ſita, Brunna, Iglauia, Chremſirium, Znoyma. Flumina, Teius, Marchia, Igla.

BOHEMIA.

BOhemia Hercinia ſylua ab omni parte ambitur. A Sclis ortu Marcomannos, ab occaſu Bauariam & Francones, ab arcto Luſatiam, & reliquos Saxones, A meridi Noricum & Pannoniam ſuperiorem habet. Bohemia ſub inde alios & alios cultores habuit. Verum hæc natio quæ hodie tenet Bohemiam oriunda à Dalmatis. Nam Zecchius & Leches fratres ob rem domi turbatã è finibus ſuis ecti, collecta multitudine perditorum hominũ, latronumq; quos ſpes prædandi, ſtudiumq; bellandi ab agricultura & quotidiano labore reuocabat, in Germaniam uenerunt. Zechius ad Albim fluuium conſedit, Leches Poloniam occupauit. Gens Bohemica ab initio agreſtis & immanis erat. Verum accepta Chriſti fide, ex agreſti immaniq; uita exculti ad humanitatem mitigati ſunt, & in latrocinia, & bella prompti. Edendi & bibendi apud eos nullus eſt modus. Terra feraciſſima, uinum tamen non uſq; adeo gene-

ſu

ùm. Nobilitas hoc tempore ex magna parte, cultu & ser-
mone in mores Germanorum formatur. Vrbes & munitas
& pulchras habet, quarum primas tenet Praga, ad Moltam
mnem sita, Regum sedes, Cuttenbergum, Prixinam & Co
netauiam, in confinibus Misniæ, Thabor. Flumina, Albis,
Aegra, Moltauia.

DE SCHONDIA.

EQuidem fabulam & rem fictam ducebam esse ea, quæ aliquando de Schondia & alijs regionibus, quæ sunt in ltimo septentrionis, dici audiueram. Verum cum ante paucos annos Christiernum Torndel Coppenhagensem, nominem doctum, & qui eas regiones lustrauit, de ijs rebus lisserentem sæpius audirem, cœpi paulatim credere ea, quæ rius apud me fabulæ locum habebant. Nunc cum Iacobus Cieglerus, & quidam alij, quorum autoritas fidem meretur, le Schondia scripserunt, impudens esse putabam, me illo-rum autoritati non concedere. De Schondia igitur q̃ pos-ùm breuissime scribã ex sententia Ciegleri, sic ut etiam à verbis suis non recedam.

Schondia quæ alijs Schondermarchia, siue Schonda nia, id est, pulchra Dania, Plinio nũc Schãdia, nũc Schandi nauia dicitur, tamen Schondiæ nomen illi manet: quo uo-cabulo Germani pulchritudinem significant, eò q̃ amœni-tate cœli, terræ, partuum, emporiorum: ferarum uenatio-ne, piscium captura, auri & argenti fodinis, nulli alteri regi-oni cedit. Hæc ueteribus Geographis penè incognita fuit, q̃ eam in zona frigida perpetuis frigoribus rigente, & om-nium animantium expertem esse putauerunt. Inde Gothi egressi, qui primum ad Mœotin et põtum Euxinũ, postea ad Danubij ripam consederunt, & Romani imperij fines uexauerunt

uexauerunt. Ex hac Schondia uirgines cum suis donarijs (cum nondum hæc quæ nunc tenent, seculum Deorum negligentia esset) ad Apollinem Delphicum uenisse legimus. Tota aũt Schondia circumscribitur à Solis ortu parte Russiæ albæ, Ab occidente Hyperborico Oceano, à septentriõe Terra incognita, à meridie Gothano sinu & parte Daniæ. Complectitur uero regna tria: Norduegiam, Suetiam, Gothiam. Dinastias quæ regibus parent triginta septem.

GOTHIA.

GOthia bonam interpretamur, nã Deum quoq; Germani Guet, id est, bonum dicunt, terminatur à septen. finibus Suetiæ, ab occasu montibus Norduegiæ, à meridie & ortu sinu Gothano. Vrbes in ea celeberrimæ, Landskrona, Suderocopia, Nordcopia, Lidecopia ad lacum Vether, Lundis metropolis. Flumina, Trolheta & Or.

SVETIA.

SVetia regnum diues metallorum & reliquarũ rerum quæ uictui humano seruiunt, terminat ab occasu Arce Vuardhus, ac si Præsidialem domum dicas, & montibus Norduegiæ. A septentrione Laponiam attingit. Ab ortu sinum Finnonium, quem ueteres uoce paululum mutata, Venedi cum dixerunt. Stockholm urbs ampla, & regum Suetiæ sedes: eò etiam memorabilis, quòd Christiernus Danorum rex ante aliquot annos multiplici clade eã affecit, nullumq; genus sæuitiæ est, cuius exemplum effrenis libido, & crudelitas plusq; tyrannica, & inhumana eius superbia, cum in proceres regni, tum in senatum urbis, & miseros ciues non edidisset. Dinastias habet multas, sed quam tacitam & prætermissam

termissam uolumus Neritiam, quæ diuam Brigitam aluit. Fluuius insignis Suetiæ est Dalekarlius in sinum Finnonicum sese effundens.

NORDVEGIA.

NOrduegia, id est, septentrionalis uia, regnū olim florentissimum, uerum nunc graui seruitute Danorum premitur: ab ortu montibus Sueciæ finitur, ab occasu Oceano occiduo siue Hyperboreo, â septen. arce Vuardhus & littore, quod abit in occasum, â meridie Gothia & Gothano sinu: urbs Nidrosia metropolis Norduegiæ, cuiꝰ iurisdictio sese extendit in Islandiam, Gronlandiam & Druthaym ac Sidryidum domicilium diceres, præterea Bergis ciuitas episcopalis. Hæc regio in reliquam Europam mittit piscem ex genere asselloꝝ, quem Salpam aliqui uocāt, Germani Stockfisch, qui frigore induratur, et mense Ianuario capitur, etiam Rhombum, qui passer dicitur, Germanis Plateys; Lacus insignes, Ouik & Mos.

SVMMA RELIQVARVM REGIONUM Schondiæ descriptio.

GRronlandia ob pabuli copiam dicta, quasi uiresceus terra, inter Norduegiam & Terram incognitā & Sueciam, quā ab ortu habet, protēditur. Est præterea Bothnia, quæ in Nordbothniam & Ostrobothniam diuiditur: Vrbs inibi præcipua Corshalm.

FINLANDIA.

FInlandia pulchra regio Germanis dicitur, eadem etiam Finnonia, unde sinui Finnonio nomen est. Regio hæc

ultra Tanaim ad Scythiam usq; porrigitur & fines Asiæ: A Sole occiduo mare Finnoniũ habet: Ciuitates inea sunt Abo, Rasburgum, Víburgũ, Nikirkia, id est, noua ecclesia, Dinastias habet, Tauastiam, Kareliam, Nordfinlandiam .i. Borealẽ Finlandiam, Suderfinlandiã, id est Australem Finlandiam. Arx insignis Custa.

LAPONIA.

LApones extremi Schondiæ in septentrione populi, incognito nobis orbe terminantur: A meridie excipiuntur Bothnia, ab ortu Oceano Hyperboreo, ab occasu intimo sinu iuxta arcem Vuardhus. Lapones Germanis hi uocitantur, qui rebus gerendis inepti sunt. Gens Laponum supra q̃ credibile est inciuilis, suspicios, & ad omne externi hominis uestigium, nauigiiq; conspectum fugax: exigua illis est corporis statura, artẽ sagittandi uel à puero edocti, matres enim pueris cibum non præbent, nisi scopum à se propositum feriant: sunt Amaxobij, hoc est, uitam in tabernaculis & curribus agentes, pisces duratos in farinam edomant, atq; inde panem conficiunt: Pelles Armeliarũ, Martarum, Zebellarum mercibus nostrorum mercatorum permutant, sic tamen, ut omne mercatorum nostrorum colloquium conspectumq; defugiant, & mutua rerum uenalium collatione facta relictis medio loco pellibus, syncera fide cum ignotis & absentibus transigunt: Equos non habent, sed eorum loco domant feram cornutam, quam sua lingua Reen dicunt. Religionem Christi ut non accipiunt, ita non reijciunt: Sunt idololatræ, & quod primum animantis genus mane occurrit, illud toto die adorant. Præterea incantatores, è tribus enim nodis in eodem loco nexis, si primum soluerint, uentos excitant leues: si alterum, uehementiores: si tertium, horridam tempestatem. Vltra Lapones in aquilonem

lonem Pygmeos reperiri quidam dixerunt, quorum qui longissimi sunt, pueri decem annorum apud nos mẽsuram non excedunt, simijs quàm hominibus similiores.

SARMATIA.

SArmatia cuius incolæ Græcis σαυρομάται dicuntur, à pu sillis instar lacertorũ oculis, σαῦρος enim lacertum, ὄμμα oculum significat. Iusta huius pars hodie Polonia dicitur à planitiæ, quam gentili uocabulo Pole uocant. Hanc ex monimentis ueterum duplicem esse constat, unam in Europa, in Asia alteram, sibi inuicem conterminas. Ea ab ortu Tanaim, Mœotim & aliquam Ponti partem habet, ab occasu Istulam, qui & Visula, Iustula, Iustilla Vistula, & ueteribus Vandalus nominatur: Vandali em̃ & Burgundiones Germaniæ populi hunc accoluerunt. Burgundiones tandem relictis sedibus patrijs, inter Heduos & Sequanos in Gallia consedêre. Oritur in monte Carpâtho, & iuxta Dantiscum Prutenorum urbem in sinum Codanũ siue Gothanum exit: A septen. sinum Codanum, à meridie & ea parte, qua Iazygibus (qui & ipsi inter Sarmatas habentur, si Danubium à meridie terminum habet Sarmatia, id quod grauissimis autoribus uisum est) imminet Carpâthum montem, quẽ antiquitas Sueuum dixit. Populi Sarmatiæ ad sinum Codanũ, ubi olim Githones & Venedes, Pruteni sunt, qui sermone, habitu, sede ac domicilijs Germanos referunt. Post illos Liuonĩ, qui antiquitus Pagirithæ & Carchotæ erant, quoꝝ urbs Riga. Lithuania cuiꝰ metropolis Vilna regio palustris ac nemorosa, in qua multum cæræ & mellis est, quod apes syluestres ibi conficiunt. Lithuani ante synodum Basilien-sem idolólatræ erant, alij enim serpentes, quas domi suæ alebant, uenerabantur, alij ignem, alij Solem, syluas dæmoni-

bus consecratas alij. Roxani nunc Russi & Rutheni, & Amaxonitæ ad Tanaim & Mœotim. Massouia ad fontes Borysthenis quem Neper uocant. Et iuxta Borysthenis hostium Podolia, ubi Lemburgum ciuitas, præter eas ciuitates quas diximus, sunt Cracouia, & Posnonia, quam interfluit Vuarra amnis. Flumina Chronus qui nunc Bergela, Tyra, Borysthenes & Axiaces.

MOSCHOVIA.

MOschouia quoq; intra Sarmatiæ limites claudítur, à Mosco amne Moschouiam urbẽ interfluente dicta, ipsa regio latissimos fines habet: nam cum ab occasu habeat mare Baltheũ & Borysthenem flu. ultra Tanaim & Rha flu. qui nunc Volga est, terram Permeskam, & Iuhram Vngarorum olim sedem, & Tartaros Kosanenses ab arce Kosam, quæ est ad Rha fluuiũ dictos, in ortum supra quingenta miliaria Germanica ad Tartaros, Sauolhenses, Nohaïenses, Sabolenses, qui sunt Moscouiæ, limes orientalis, pcedit: A septen. terminatur Oceano, quem prisci conglaciatũ uocauere, à meridie uastissimis campis: necnon Lithuania & Ruscia & arce Smolensi, magna ex parte campestris & pabuli ferax, uerum æstate propter colliquatas niues campi passim in paludes abeunt. Hercinia sylua quæ à ripis Rheni per Germanos & Sarmatas ad Ripheos montes & Oceanum Scythicum uarijs nominibus alijs et alijs locis acceptis usq; excurrit, Moschouiam mediã secat, inde ad nos ferunt candidi isti centones, qui nulla filorum textura constant, sed ex lana coacta quos Feltrias uocant, unde conficiuntur uestes penulæ ad omnem cœli iniuriam excludendã idoneæ, Nogardia urbs magna Moschouiæ tribuitur,

Taurica

TAVRICA REGIO.

CHersonesus Taurica Sarmatiæ annexa est, nostro æ-
uo Tartaria Præcopiensis, mari undiq; circumfusa, ni-
si quòd limite occiduo Isthmum habet. Vrbs in ea insignis
Capha, olim Theodosia dicta.

DE ALPIBVS, CARNITHIA, ET STIRIA.

QVia diximus de ijs locis, quæ à Rheno inter Danubi-
um, Istulam, Tanaim, & Mœotim sunt, superest ut ue
niamus ad eas regiones, quæ Alpibus & Danubio interci-
piuntur, quarum aliquas data opera intactas, cum de Rhe-
tia & Norico ageremus, in hunc locum distulimus: & pro
suscepto describendæ terræ à nobis labore, precium operæ
facturus mihi uideor, si quid Alpes sint dixero.

ALPES.

ALpes à niuium candore dictas esse putant, sed rectius à
Gallis & Germanis nomen illis inditum esse credi-
mus, nam hi excellentissimos quosq; montes, sua lingua
Alpen uocant. Sunt autem Alpes montes ita excelsi, ut in
portento prope maiores habuere eas ab Hannibale primũ,
postea à Cimbris exuperatas. Italiam à Germania & Gal-
lia dirimunt. Oriuntur in Liguribus atq; inde in septentri-
onem, ad fontes Danubij & Rheni usq; procurrunt. Dein-
de ubi Germaniam attigerunt, uerso impetu, in orientem
ad Bizantium, & pontum Euxinum usq; abeunt.

DE CARNITHIA ET STIRIA.

CArnithia, quam corrupte Carinthiam uocant, & cuius incolæ Carni, nostrate lingua Craner dicuntur: ab ortu & septentrione Stiriæ iungitur, ab occasu & meridie Alpes & forum Iulij contingit, cuius pars etiam Carniola est. Coniectura est hos populos ueteribus Iapides dictos esse: in hoc tractu flumina oriuntur, Drauus ê Norícis uiolentior, Sauus ex Alpibus Carnicis placidior, Nauportus qui hodie Labacus, unde ciuitati Labaco nomen, inter Aemonam, quæ nũc noua ciuitas est, & Alpes exortus. Vrbes Carnithiæ, Santouitus, Villacum, Vuolfsperga ad Lauatũ flu. sita, Cladefurtium, huius urbis ciues furibus sunt inexorabiles, ut quidam dixere: leuis enim suspitio grauissime nocet huic, qui rem furto parare putatur, inauditus ad supplicium crucis abripitur, nec purgandi sui tempus datur. Post eius diei, quo supplicium sumptum est, diem tertium, de mortuo iudicant: quem si insontem fuisse cognouerint, splendide sepeliunt: si iure occisum compererint, pendere sinunt. Sed his commentitijs fabellis in Geographia nihil locí esse debet.

STIRIA.

STiria regio undiq; montibus cincta, alijs Valeria, alijs Iapidia dicta, Norici pars, ab ortu Pannoniæ inferiori occurrit. Ab occasu Carnithiæ, & montibus Atheſinis, â septentrione Pannoniæ superiori contermina. A meridie Sauum fluuium habet, nam Ciliæ comitatus id temporis Stiriæ adnumeratur. Hæc regio fodinis ferrarijs ferè omnibus totius Europæ regionibus præstat. Ferrum enim molle & ad quiduis sequax, plumbo q; uicinius ad exteras nationes emittit. Præterea nullius rei, quæ usui esse homini potest, indiga; uini, frumenti, pecoris, salis abundans. Vrbes præ-

cipuæ

puæ, Iudenburgum, in cuius montibus qui prope sunt, nascitur spica Celtica, & ea quidem laudatissima, μύρρις quoq; quam uulgus Angelicam uocat, Lanaria herba, indoctis Magistri radix nuncupata. Chintelfelda, Leubna opulentior quàm pro magnitudine ciuitas, Pruck, ubi Murtius amnis Muræ infunditur. Cella castellum, germana mihi patria, uetusto eodemq; religiosissimo uirginis matris templo famigeratum. Iuxta uallis Halæ, ubi sal candidissimus coquitur: inde non procul abest mons Golachius, (sic enim indigenæ uocant) unde quatuor iustæ magnitudinis flumina in quatuor mundi cardines decurrentia emittũtur. Leyta fluit in ortum, in occidentem Salza, in Aquilonẽ Traisius, Murtius in meridiem: recte æmulum montis piniferi, qui est in Foytlandia dixeris. Est insuper Grætium ciuitas gentis caput, Marpurgum, Pettouia, Rackerspurgum, Cilia ad Sauum fluuium. Flumina, Murtius, Mura, Drauus, Sauus, Onasus. Illud iocosum hoc loco inserere haud piguerit, Stiriæ contra accidere ac Vuestualiæ, nam ut hæc improbos citius gignit, quàm stultos: ita illa gutturosos & stultos citius quàm uersipelles & improbos.

DE PANNONIA INFERIORE.

VNgaria nunc sanè est, quæ olim fuit Pannonia: ea ab ortu finem habet confluuium Saui & Danubij, ubi Taururum, Belgradũ, aut Alba Græca id temporis dicitur. A solis occasu Arabonem secundum Ptolemæum, Leytam et Bohemiam secundum neotericos habet. A septentrione Danubium, à limite meridiano Illyrim. Veruntamẽ fines ueteris Pãoniæ angustiores sunt, quàm q̃ Vngarorum imperium impleant. Siquidem Iacyges, Metanastæ, Daci & Getæ, qui transsyluani, ambæ Mœsiæ, Illiris, Dalma-

Dalmatia aut parent, aut patrum noſtrorum memoria paruerunt Vngarorum imperio. Ferox hominum genus, ut ſtatim aliquid Scythicum ineſſe intelligas: ſitis, famis, & aliorum laborum pluſq; modice patiens. Nobilitas apud eos ſolo militari ſplendore definitur, rebus bellicis ſolum ſtudent: præter arma, ſanguinem, rapinas, populationes, ua ſtationes, incendia nihil curãt: nulli apud eos menſarij, opifices, æruſcatores, inſtitores. Hæc ſola natio Turcos uince re Matthia rege conſueuit, hodieq; uinceret, modo ἀλλοπρόσαλλος non eſſet, Sed id in tanta animorum mobilitate optare quàm ſperare fuerit multo procliuius. Ipſi autem Vngari â Tanai fluuio & Boſphoro Cimerio, & ea regione cui Iuhra nomen, duce Keua Pannoniam ingreſſi ſunt, & ad Tulnam ſuperioris Pannoniæ oppidum, ſecundo prælio cõtra Romanos dimicauerunt, in quo Keua occubuit. Cui Athila uir ingẽtis ſpiritus, & cuius nullo labore aut corpus fatigari, aut animus uinci poterat, ſucceſſit: is Pannonia Bædæ fratri, unde Budenſi urbi uoce nõnihil inflexa nomẽ eſt, relicta, Italiam, Galliam, Hiſpaniã, erat eñ miræ artis uir in debellãdis gentib⁹, multis cladibus affecit. tandẽ cũ uictore exercitu in Pannoniã reuerſus, in Idilconis nuptijs, quã ſibi matrimonio iunxerat, cũ largiꝰ ſe uino ingurgitaſſet, fluore cruentantis naſi, quẽ nemo medicus ſiſtere potuit, extinctus eſt. Tanta omnium rerũ copia in Vngaria, ut nullum ferè in tota Europa regnum huic conferri poſſit. Vrbes Puſoniũ, Sepronium, Gaurinum ad hoſtium Rabonis fluuij, olim Bregetium, Strigoniũ, Alba regalis, Quinqueccleſiæ, Varadinum, & ſedes regia Buda in colle clemẽter edito poſita, Danubio obiecta, arce, mœnibus, ædificijs, & ante omnia Bibliotheca, quam Matthias rex magna impẽſa inſtruxit, uiſenda. Flumina, Danubius, Vuagus, Grana, Arabon, Sauus, Drauus, Tybiſcus.

Iazyges

IAZYGES METHANASTAE.

IAzyges ab ortu Tybiſcum flu. ſiue Daciam attingunt, Ab occa. Danubium & Germaniam, A ſepten. Carpathum ſiue Sarmatiam, tametſi & illi Sarmatici iuris olim erant, A meridie Sauum. Sunt autẽ Iazyges iſti populi qui inter Budam & Vuaradinum colunt, Methanaſtæ dicũtur quòd aliunde in hæc loca migrarunt: omnis ferè poſſeſſio illis eſt in gregibus & armentis.

DACIA.

DAcia quam hodie Tranſſyluani incolunt, ab ortu Mœſiam inferiorem, Danubium & Iheraſſum qui nunc Pruthus eſt habet, ac occaſu Iazyges methanaſtas ſiue Tybiſcum, A ſeptentrione Sarmatiam, A meridie utranq; Mœſiam ſiue Danubium. Daci & Getæ hanc antiquitus habuerunt. Daci qui & Daui in occaſum, Getæ in ortum, inde Getarum & Dauorum ſeruilia nomina in comœdijs: id tempo ris Cicli & Valachi hanc incolunt, quamuis Valachi in ortum ad Pontum uſq; excurrunt. Teutones è Saxonia profecti, uiri ſtrenui à ſeptem urbibus, quas hoc loco condiderunt, Sibenburgenſes patrio nomine ſe appellauerunt. Cicli ex ijs ſunt, qui ab initio cum reliquis Hunnis è Scythia profecti in his locis conſederunt, regi tributum penſunt ſemel tantum, & cõteſtim ab eius inauguratione ſingulæ familiæ ſingulos boues, numerus boum ad ſexaginta milia, ut dicit, excreſcit. Valachi Italicum genus hominum in colonias huc miſſum, planè in mores Getarum abierunt, ita nihil antiquæ originis ſuæ retinent, præter linguam quam barbare & corrupte ſonant. Vrbes, Chlauſenburgũ olim Zeugma.

Biſtritium, Cibinium multis difficultatibus his annis conflictatum, Corona quondam Zemigetuſa Decibali regis acerrimi uiri olim regia. Flumina, Sargetia nũc ut conjicimus Burtia, Alutas, forte hodie Baralatus dicitur, Marus & Cuſus, quorum alter Moroſſus, alter Keres, ambo in Tybiſcum exeuntes.

MOESIA SVPERIOR.

MOeſia ſuperior, ab ortu Thraciam, & Ciabrum fluuium, ab occaſu Dalmatiam & confluuium Saui & Danubij, à merid. Orbelum mõtem & Macedoniam, à ſeptent. Daciam & Danubium habet, in ea olim Dardani habitarunt, nunc Boſnenſes, Seruij & Raſtiani, urbs noſtro ſeculo clara Sinderouia.

MOESIA INFERIOR.

MOeſia inferior ad pontum uſq; cum Danubio decurrens, ab ortu pontum Euxinum habet, ab occaſu Ciabrum & Daciam, à merid. Thraciam, à ſeptentrione Danubio uſq; ad Axium urbem, ac deinceps Danubio Iſtro appellato terminatur, in ea olim Triballi nunc Bulgari, Celegeri, & Baſtarnæ habitarũt, huius partes hoc tempore ſunt Vualachia, Bulgaria Ponto contermina, & Mondania quæ & Moldauia, inter Iſtrum & Tyram, qui barbaris Deneſter nunc dicitur flumina. Vrbes olim præclaræ erant, Tomi, Iſtropolis, Odeſſus, Meſembria, hodie omnis hæc regio propter frequentes Turcarum incurſiones inculta ac deſerta, & in ea parte ubi Moldauia imprimis aquarum inops. Hic Danubius ſeptem hoſtijs quod antea diximus in pontum Euxinum exit.

Thra-

THRACIA.

THracia longe lateq; patens regio, olim Sython nunc Romania dicta, eam ab ortu finit Pontus ac Propontis, A meridie mare Aegeum, ab occasu Strymon fluuius & Mœsia superior, A septentrione Hæmus, Plinio ab ea parte terminatur Danubio, qui utranq; Mœsiam Thraciæ inserit. Regio horrida & nisi qua mari propior infœcunda. Genus hominum durum & asperum, & bello natum, ut recte à poëtis Thracia Martis domicilium uocata sit. Thrausi Thraciæ populi circa natalicia atq; obitus hoc factitant. Edito puero propinqui eum circumsident cum fletu, recensentes quascunq; necesse est illi quod uitam ingressus sit perpeti miserias, hominem fato functum lusu & lætitia terræ mandant, quod malis omnibus sit liberatus. Vrbes, Poneropolis, mox à conditore Philippolis, nunc à situ Trimontium dicta, Apollonia, Tinda Diomedis equorũ stabulis dira, Macronteixos locus circa fluuium Melam à quo sinus appellatur, Gerania unde à gruibus pygmæi pulsi dicuntur, Bizantium antea Lygos dictum nũc Constantinopolis, locus quidam doriscus centum & uiginti milium hominum capax, ita Xerxes ibi dinumerauit exercitum. Montes, Pangæus, Rhodope nũc Valiza, Ismarus, Orbelus, Hæmus. Flumina, Nestus, Strymon, Hæbrus qui nunc Mariza uocatur, Chersonesus Thraciæ Sestũ & Calipolim urbes habet.

MACEDONIA.

MAcedonia affinis est Thraciæ, olim Aemathia dicta, Ea ab ortu Aegæo pelago abluitur, Cui Athos scopulus quàm insula uerius inter Tenedum & Chium repente specie

capræ extans nomen dedit, Ab occasu in mare Adriaticum procedit, A' septent. terminatur superiore Mœsia & parte Illyridis, A meridie Acroceraunia & Pindus montes unâ cum Achaia eam excipiunt. Oppida, Pella ad sinum Thermaicum, Thessalonice nunc Salonica Theodori Gazæ patria, Philippi, Amphipolis, Aegæ ubi mos erat sepelire reges, Meliboea, Pieria regiuncula Olympo monti adiacens, Lybethra fons & specus. Mõtes. Olympus, Pelios, Homole, Hothrys, Ossa, Oeta gigantum fabulis memorati, & Athos tantæ altitudinis ut cacumen eius nubibus insertum credatur. Flumina, Axius, & qui ex monte Pindo iuxta Gomphos ortus præter Ossam & Olympum decurrens in mare Aegæum prolabitur, Peneos, ad quem sunt tempe scriptoribus decantata, Thessalia ubi olim Pharsalos oppidum & circa campi Pharsalici secundum Ptolo. Macedoniæ tribuitur, cui annectuntur Magnesia & Phthiotis. Pæantis lapis in Macedonia reperitur, quem prægnãtem fieri & parere dicunt, mederiq; parturientibus.

GRAECIA.

GRæcia duplex, Peloponnesus & Hellas. Peloponnesus antiquitus Aigialia, Apia, Pelasgia, nũc Morea uocatur, ea quasi quadam ceruice Helladi iungitur, & platani folio comparatur, eo quòd multi sinus eam lancinant. Hæc à septentrione mare Ionium, Sinum Corinthiacum, Isthmũ ætate nostra Heximilum dictum, & Sinum Megaricum habet, A meridie partim mari Cretico, partim Ionio pulsatur, Ab ortu Aegæo, Ionio ab occasu urgetur. Regiones, Argolis, ubi Argos Hippium, & Mycenæ urbes, Laconia in qua Lacedæmon, quæ & Sparta, Amyclæ, fluuius Eurotas ex Mænalo mõte defluens Alphæo confun

ditur,

ditur. Messenia, ubi Messene & Methone quæ hodie Modo na. Et ea regio quæ Achaia proprie dicitur, siue Elis, in ea urbs Pisa, & Elis idem regioni nomen habens. Hic etiam Olympia campus, in quo Olympici ludi quinto quoq; anno celebrabantur. Sytionia ubi Sytion urbs, & in Isthmi collo Corinthus cuius arx Acrocorinthus. Archadia, mediterranea quæ undiq; procul â mari abest, in ea urbes Psophis, & Orchomenus. Montes, Pholoe, Cyllene, Parthenius, Mænalus, Licæus. Flumina, Erymanthus & Ladon. In montibus Archadiæ nascitur Asbestos lapis colore ferri, qui semel accensus extingui non potest. Oram Peloponnesi sinus & promontoria lacerant, Ab ortu Bucephalus, sinus Saronicus, in quo Epidaurus Aesculapij templo insignis, Chersonesus, unde non procul abest Trœzen urbs, & Scyllæum, sinus Argolicus, ubi Lerne oppidum, & in quem Erasinus & Inachus effluunt. A meridie Malea Ptolomæo forte Omignatos, hinc usq; ad Tenarum promontorium & spiraculum sinus Laconicus, inde sinus Asinæus, cui urbs Asine in littore posita nomen dedit. Ab occasu sinus Cyparissius, in quo Alphæus fluuius. Hinc littus in Boream spectat, ubi sunt Patræ, Aegion, Olurus, & Sityon.

HELLAS.

HEllas quæ & Achaia Ptolomæo dicitur, qua sol oritur Aegæis fluctibus obiacet, qua occidit hostio Acheloi lumínis & Epiro finitur, Sinui Corinthiaco, Isthmo, & mari Mirthoo â meridie, Macedoniæ & Thessaliæ ab Aquilone occurrit, huic hæ omnes regiunculæ insunt. Attica in qua primum occurrit Sunnium promontorium, ibi etiam Pyræus nobilis Athenarum portus, urbs Athenæ, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq; in

omnes terras distributæ putantur, non longe ab Athenis sa xa Scyronia, Rhamnus pagus ubi Nemesis, hoc est diuina iusticia superbiæ & scelerum uindex colebatur. Montes Lycabettus, & Hymetus mellificio apum insignis. Megaris, ubi Megara ciuitas quæ regioni nomen dedit. Bœotia, Achaiæ umbilicus, ubi Thebæ Bœotiæ, & Aulis urbs capaci nobilis portu, Aganippe & Hippocrene fontes poëtarũ carminibus celebres. Phocis ubi Parnassus, mons cuius cacumen nubes superat, Delphi urbs Apollinis fano & oraculo clara quam præfluit Cephisus amnis, inibi etiam fons Castalius. Regio Locrorum, tum eorũ qui Ozolæ quorũ urbs Oeanthe, tum etiam qui Epicnemidij uocantur, quorum metropolis Opus, Doris ubi mons Pindus & Erineon oppidum. Aetholia hodie Despotatus, quam Achelous amnis è Pindo fluens ab Acarnania dirimit. Vrbs in ea Naupactus. Oetholiæ partes sunt, Athamania, Perrhæbia, Aperantia, Dolopia.

EPIRVS.

EPirus ab ortu habet Acarnaniam, A solis occasu Ionio mari occurrit, A septentrione Acroceraunijs montibus, A meridie pulsatur mari Ionio. Oppida, Chimæra, Mæandria, Cestria, Butrotum, & sinus Ambratius, ab Ambratia oppido dictus, in quem defluit Acheron fluuius ubi etiam Nicopolis, Leucas urbs, & Leucates promontorium, Molossi & Acarnanes Epiro tribuuntur. In Epiro etiã fons frigidus est qui immersas faces sicut cæteri extinguit cum sine igne admouentur eas accendit.

ALBANIA.

Alba

AB Epirotis flexus littoris est in Adriam, statimq; occurrunt Albani, qui à nostris Albanēses uulgo, à Græcis Albanitæ nominantur, populus Asiaticus, utpote ab his Albanis qui Caucaso monte â Colchis dirimuntur profecti, inter sinum Adriaticum & Macedoniam consederunt, ingenio sunt uario, corpore robusto, laboris tolerantes, egeni, ac proinde cupidi & rerum nouarum studiosi, & qui sola pecunia in fide retineri possunt, illorum urbs Valona non admodum magna, unde breuissimus traiectus in Italiam. Epidamnus Dalmaciæ finitima nunc Dyrrachium, introrsum â mari Croia olim Troia dicta.

DALMATIA.

DAlmatia à Lissa oppido sumit initium, & procurrit ad Scordonam urbem usq;, à septentrione Liburniam & Mœsiæ superioris partem habet, à meridie sinum Adriaticum. Vrbes, Epidaurus hodie ut putatur Rhaguſium, Scodra nunc Scutaris urbs mediterranea, Scordona, Salona, Delminium ætate nostra Dama, Stridon Hieronymi scriptoris ecclesiastici patria. Flumina, Drylo, Drinus, Nar quem Plinius Naronem appellat, mons Adrius qui ita Illyriam & Dalmatiam secat, sicut Apenninus Italiam.

ILLYRIS.

ILlyria ab Illyrio Polyphemi & Galathææ filio nomen habet, ea sub extremis Alpium radicibus longissime per totum Adriatici maris littus effusa, à solis ortu Mysia superiore terminatur, ab occasu Istri eam excipiunt,

Alpes

Alpes & utraq; Pannonia à septentrione, Adriaticum mare à meridie, adhæret Illyridi ad occidentem æstiuum, Croacia olim Liburnia, nostrate lingua Krabaten, inter Cuspam & Sauum flumina & Mœsiam superiorem sita, Plinius gentem Liburnorum Arsiæ fluuio iunctam usq; ad Titium scribit, Illyricum nomen olim prope in immensum patuit, eoq; nomine uel hodie censentur Dalmatæ, Liburni, Istri, & Carni. Fuitq; hæc natio ferè ac magna ex parte olim latrocinijs infamis. Istriorum gens sententia quorundam Illyriæ pars, hæc ut fama est à Colchis originem duxit, qui ab Aeta rege ad persequendos argonautas raptores filiæ suæ missi, primum Istrum, deinde Sauum fluuium ingressi usq; ad Adriatici maris littus penetrauere, quos cum non inuenirent, siue metu regis, siue tedio longi itineris ibi consedere, Istriq; ex uocabulo amnis quē nauigarunt appellati, quibus ab occasu occurrit Carinthia, Alpes à septent. sinus Adriaticus à meridie. Vrbes in hoc tractu, Scardona, Iadera, Parentum, Flammona, Pola, Iustinopolis, Aquileia, Tergestum, Pucinum castellum uino nobile, Concordia, & in Carnorū & Foroiulienſium regione quæ Tillauento & Natisone fluminibus clauditur, Nauportus hodie Labacum, à Nauporto fluuio nomen habens, inde non procul Modrusa & Signia. Flumina, Titius, Timauus inter Concordiam & Tergesten, Natiſo qui attingit Aquileiam, Arsia.

GALLIA CISALPINA.

GAllia Cisalpina, quæ & Togata & Tonsa dicitur, Ptolomæo & Plinio intra Padū, Rubiconem & Apenninū clauditur, ubi hodie Flamminea & Romandiola. Verū hoc æuo ad Alpesusq; abit, ea ab ortu Rubiconi fluuio, mari Adriatico, & Istriæ siue Carnis occurrit, ab occasu & septentri

one

one Alpibus, à meridie Apennino monti, diuiditur in Cis-padanam & Transpadanam, in Transpadana urbes, Mediolanum, de quo alte & ut oportet à capite quædam dicemus. Campos omnes qui Apennino, mari Adriatico, & Alpibus terminantur, olim Tyrrheni habitarunt, cum ad hos obuicinitatem regionis subinde Galli commearẽt, specie ac fœcunditate loci pellecti, exiguam quandam belli occasionem aduersus Tyrrhenos nacti exercitum comparant, factoq; in Tyrrhenos impetu finibus expellunt, deinceps ipsi tenent. Inter Padum atq; Alpes habitant Laũ, Lebicũ, deinceps Insubres, quæ gens erat maxima inter Gallos, à quibus conditũ Mediolanum, & non longe à ripa fluminis Cenomani. Loca Adriatico mari ab Istria ad Padi hostia uicina Heneti Paphlagonum gens, quorum regio uel hodie Venetia dicitur, & in intimo Adriatici maris recessu Venetiæ urbs, quam Aquileienses, Patauini, Opitergini, & alij qui Adriæ accolæ erant, metu Hunnorum, quorum terror totum orbem peruaserat, relicta continente quo longius à periculo abessent condiderunt, hæc tandem sordido quæstu ad tam luculentas opes processit, ut potentissimis etiam quibusq; regibus formidabilis sit. Inter Apenninum & Padum, primo Ananes, post Boij, inde Eganes, postremo Senones, qui extremi omnium Gallorum iuxta Adriaticum mare habitarunt, Verona, Ticinum, Comum, iuxta est Larius lacus, ex quo Abdua fluuius exit, Bergomũ, Patauiũ. In Cispadana, in Taurinis, quæ Alpibus proxima gens est, Augusta Taurinorum, nunc Taurinum, regio ea Pedemontana neoterícis dicitur, Mantua, Cremona, Parma, Mutina, Bononia, Rauenna. Flumina, Padus è gremio Vesuli montis exortus, magnis & fluminibus & lacubus auctus in mare Adriaticũ defertur, Ticinus urbem eiusdem uocabuli præterlabitur, Athesis in Tridẽtinis Alpibus natus Veronam præ

fluit, ac tandē Adriæ infunditur, Trebia ex Apennino effu sus Placentiam alluens Pado miscetur, Rubicon qui Gallica certus limes ab Ausonijs disterminat arua colonis, inter Ariminum & Rauennam hostio uno eoq; uadoso in mare Adriaticum euoluitur, Riconem accolæ uocant. In hac regione & inclyti lacus, præcipui tamen Verbanus & Benacus, hic Ticini, ille Mincij qui Mantuam attingit pater, Benacus magnitudine sui æstus marinos imitatur, piscem scitissimi saporis alit, qui nusquàm alibi locorum reperitur, carpionem indigenæ uocant.

ITALIA.

NVlla regio laudibus Italiæ certauerit, nulla regio est quæ tam tota sit culta, suum cuiq; in ea regioni quasi dispositum atq; descriptum munus, quare altius, & ut deceret à capite recensenda essent omnia, sed quoniam scriptores, tum prisci, tum etiam neoterici in ea nihil intactum reliquerunt, & notiora atq; illustriora fecerunt omnia quàm ut in his recensendis multum operæ ponamus, de ea re strictius dicemus. Hæc multis nominibus olim dicta, Saturnia à Saturno, Oenotria ab Oenotrio Sabinorum rege, Hesperia ab Hespero Atlantis fratre, Ausonia ab Ausone Vlyssis & Calypsus filio, nouissime Italia de Græco uocabulo, cum boues Græca ueteri lingua ἰτα λοί uocitati sunt, unde conijcimus, quòd Italia olim armen tosissima fuerit, Qui primi eam habuere aborigines fuerũt Saturno rege, eam Plinius folio querno comparat, cæteri tibiæ mortui hominis, Mari supero inferoq; insulæ modo cingitur, quæ eadem Adriaticum & Tyrrhenum Græci uocant, Ab occasu ex parte una Rubicon uetustus Italiæ terminus

terminus eam claudit, nam fuit tempus quo Cisalpina Gallia inter Italiæ regiones non numerabatur, ex altera parte Varus & mare Ligusticum, quod à Varo ad Lunam Hetruriæ urbem excurrit, inde Tyrrhenum, quod ad Siculum fretum usq; protenditur, unà cum Siculo est ei à meridie, Ab ortu eam allatrat Ionium quod est inter Corcyram nigram & Calabriam, Adriaticum quod à Corcyra in intimum usq; sinum ubi Venetiæ sunt immittitur à septentrione, antiquitus Alpium iuga quæ Rhetis imminent.

Apenninus mons eam mediam secans perpetuis iugis ab Alpibus ad Siculum fretum & Garganum montem usq; porrigitur, & utraq; perpetuo discriminat æquora tractu, post in meridiem uergens ad Leucopetram finitur, aliæ atq; aliæ gentes eam incolunt. Picenī qui & Picentes, quorum urbs quod inflexi cubiti imaginem habet Ancona, hodie totus ille tractus Marchia Anconitana, Ascu lum colonia, Potentia. Marsi à Circe oriundi, quibus à serpentibus noceri non potest, hic Fucinus lacus, qui nunc Marsæ dicitur. Vestini, quorum urbs Amiternum. Peligni, quorum est Corfinium & Sulmo Ouidij poetæ patria ad Aternum fluuium, in Pelignis hoc nostro tempore etiam Lauretum, iuxta Aternum scopulus unde oleum quod petronicum uocant effluit. Frentani, quorum ab ortu amnis Tifernus finis, & Appulorum initium. Apulia Iapygiam in qua est mons Garganus & Daunīam partes habet, Diomedes post excidium Troianum ob suspitionem adulterij ab uxore commissi uoluntarium exilium sibi in Apulia delegit, & edomita omni Garganī montis multitudine in eodem tractu multas urbes condidit, Sipontum, Beneuentum, Equitutium, Arpos, quæ & Argirīpa & Argos Hippiū dicta est, sunt & Cannæ uicus ad Aufidū amnem clade Romanorū ab Annibale

accepta memorabiles, & hoc tempore ſanctus Nicander oppidum. Amnes, Tifernus, Fortarius, Aufidus ad quem Bariũ ciuitas, è regione Gargani montis duæ inſulæ quas Diomedeas uocant, altera tumulo atq; delubro Diomedis inſignis eſt, & auibus Diomedeis, quæquotidie templum eius pleno gutture & madẽtibus pennis perluũt & purificãt.

Calabria deinceps eſt, in qua Brunduſium, unde admodum breuis transfretatio in urbẽ Valonam de qua antea diximus, Tarentum Lacedæmoniorum opus quondam non ſolum Calabriæ ſed Apuliæ & totius Lucaniæ caput, eo q; in ipſis Adriatici maris faucibus poſitũ in omnes terras uela dimiſit, Tarentinorum opes aliquando fuere luculentiſſimæ, rem ſuam ciuilem δημοκρατία. i. populari poteſtate gubernarunt, omni genere artium & uirtutum pollebant, philoſophiam Pythagoricam amplexati ſunt, Architam alumnum habuerunt. Cæterum proceſſu temporis totus ciuitatis ſtatus corruptus eſt, plures enim dies feſtos quibus luxui & delicijs uacabant quàm profeſtos habebant: recte ſapientes dicunt, non tam ab hoſtibus armatis nobis noceri quàm à circumfuſis undiq; uoluptatibus. Interius quicquid terrarum iacet inter Iapygium & Leucopetram promontoria, illa ora Italiæ eſt quam magnam Græciam uocarunt, in ea ſunt Hydrus, Sale promontorium, Rudiæ Ennij poetæ patria, Metapontus, Croto quæ Milonem Athletam genuit, ſalubritate aeris laudata, Sybaris, inter Salen & Lacinium ſinus Tarentinus, inter Lacinium & Zephyrium Scyllaceus, oppidũ intus Petilia, haud procul inde ſunt Locri, à Leucopetra & immani illo Apennini montis iugo & termino uſq; ad Laum fluuium Brucij ſunt, quorum caput Rhegiũ ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι dictum, quòd ibi Siciliam mare ab Italia abrupit & auulſit, urbs Temeſa, fluuius Methaurum. Inter Laũ & Silarum Lucania eſt, oppida Peſtum, Helia nunc Velia,

flumen

flumen Laus & eodem nomine oppidum. Picentia hinc Silaro, illinc Sarno ambitur, urbes Surrentum & Salernū A Sarno ad Lirim, qui nunc Gaurianus Campania iacet, omnium toto orbe terrarum pulcherrima plaga, nihil molli us cœlo, solo nihil uberius, bis floribus uernat, olei, uini, frumenti primam laudem tenet. Capua gentis caput est, inde Sinuessa, Minturnæ, Linternum exilio & sepulchro Scipionis clarum, Cumæ Chalcidensium opus, sylua gallinaria, Misenum promontorium, palus Acherusia, Baiæ, lacus Lucrinus & Auernus, fama tenet aues Auernum superuolitantes exanimari odore terrerimo qui inde exhalat, hanc locorum partem uetustas Plutoni dicauit, hic etiam Cimerij in subterraneis specubus habitare dicūtur, hic descensus ad inferos, deinceps Puteoli ciuitas â puteorū frequentia, quæ antiqtus Dicearchia dicebatur, â Puteolis Parthenope nūc Neapolis, quo plerunq; secesserunt ab urbe quos literarum desiderium tenebat, uel morbus, uel senectus affligebat, in mediterraneis, Suessula, Nola, Acerræ. Flumina, Vulturnus qui mediā Campaniā secat, Clanius qui Acerras, Suessulā & Atellam, quæ id temporis Aduersa dicitur alluit, Iscle rus Vulturnum influens, Sarnus, portus Caieta. Montes uestibus amicti, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuuius instar Aetnæ ignibus ardens.

A Liri ad Tyberim usq; Latium porrigitur, Saturnus arma Iouis fugiens & regnis exul ademptis hanc regionem Latium uocari maluit, ijs quoniam latuisset tutus in oris. Vrbes, Hostia inter mare & Tyberim quam Ancus Martius quartus Romanorum rex condidit, Ardea, Antium colonia Romanorum, mons Circæius qui & Aeæus, quondā insula, uerum Limus de Albanis montibus fluens angustias aquarum, quæ Circæium â continenti excludebant replenit, & continenti iunxit, Tybur, Prenestе, Terracinæ olim

Anxur, & iuxta palus Pontina, & urbs urbium atq; mundi caput Roma, populus magnis atq; memorandis factis ab initio q̃ genere nobilior. Hanc duo deinceps reges alius alia uia, ille belli, hic pacis artibus auxerunt, In mediterraneis, Nomentũ, Velitræ, Setia, Aritia, Priuernum, Sabini haud procul à Latinis degũt, intra Apennini iuga ἀχὴ τοῦ σάβειν, hoc est à Deorum ueneratione, quos pie magis quàm magnifice colebãt dicti, Metropolis Cures Numæ Pompilij patria, & Nursia quæ Sertorium ciuem habuit, Tyberis, Nar, & Anio Sabinos alluunt. Inter Sabinos & Thuscos medij sunt Vmbri antiquissimus Italiæ populus, ipsaq; Vmbria quæ nunc ducatus Spoletanus est ad Ariminum & Rauennam ultra Apenninum montem euadit. Vrbes. Nuceria, Alphatenia ad Tenium amnem qui nunc Topinus, Fulgineum olim forum Flamminij, Spelium, Assisium antiquitus Axium, Mitusca id temporis Treuia siue Trebula, Meuania Propercij poetæ patria, Spoletum, Camerinum, Sarauallis, Comissa noui nominis oppidum, Vissium quod Nar fluuius præfluit, Reate quod Domitianũ Cæsarem detestandum monstrum produxit, Interamnia, Ameria, Narnia quam alij Samnio tribuunt, Ocriculum. Flumina, Velinus & eiusdẽ uocabuli lacus, Nar, Farfarus priscis Fabaris dictus, Allia, Vmbro, Clitumnus qui Meuaniam attingit ex modico colle eoq; multa cupresso nemoroso exit adeo purus & uitreus ut numerare iactas stipes & relucentes calculos possis, nauium patiens quas obuias quoq; & contrario nisu in diuersa tendentes transmittit, ripæ fraxino multa, multa populo uestiuntur. Huius amnis aqua potata candidas pecudes reddit. Lacus, Vadimonis Ameriæ urbi adiacens, cuius aqua fracta solidantur, cui innatant insulæ herbidæ, omnes arundine & iunco tectæ, cunctis margo derasus, quia frequenter uel littori uel sibi illisæ terũt teruntur q;,

interdum

interdum iunctim natant, interdum uentis discordantibus separatim, tandem in flumen egeritur, quod ubi paulisper se oculis dedit specu mergitur, alteq; conditum meat, ac si quid antequam subduceretur iniicitur seruat ac profert.

Inde Hetruria initiũ capit à Tyberi ad Macrã excurrẽs, quæ & Thuscia à multo Deorum per thura cultu dicta putatur, eadem & Tyrrhenia. Vrbes Alsium, Pyrgi, Grauiscæ, Populonia, Liburnus portus, Luna, & portus Lunensis, Cortona Pelasgorum opus, & in finibus Cortonensium Trasimenus lacus, qui & Perusinus, Perusia, Arretium, Clusium, Sena, Volaterræ, Pratum Arno fluuio appositum, Florentia Arno fluuio diuisa, Pistoria, Luca quam Auxeris, qui nunc Sercli nomen habet, praeterlabitur, Viterbium non admodum uetus ciuitas, mons Soracte ad Tyberim, qui nunc sancti Siluestri est, mons Falisscorum quem corrupte Flasconum uocant, Cære Thusciæ oppidum non procul à Tarquiniis quondam Agylla, unde Cærites dicti, Cæretum uero Vmbriæ est inter Spoletum ac Nursiam à quo Cæretani. Ad extremum sunt Ligures, quorum ora patet inter Macram & Varum. Vrbes, Spedia, Genua gentis caput quam ab una parte Feritor fluuius aluit, qui hoc æuo Bisamnis nuncupatur, Virago hodie Vicus uirginis, portus Herculis Monœci, deinde Nicæa à Massilienſibus condita. Liguria militem leuem & repentinum habuit, qui nullum unquam tempus quietum aut securum Romanis fineret, quippe propter domesticam inopiam uicinos agros incursabãt, mons Vulnetia generoso uino nobilis, hunc uulgo Vernatiam dicunt.

Africa

AFRICA.

AFrica una est ex tribus orbis terræ partibus, Græcis Lybie dicta, eius fines â parte orientis Nilus, ab occasu & meridie Oceanus Aethiopicus qui & Atlanticus iuxta Hispaniam dicitur, â septen. fretum & mare nostrum, sic dicta, aut ab Aphro Abrahami filio, qui cum tota domo in hæc loca commigrauit, aut ut alijs placet quòd sine frigoribus sit, φρικὴ enim Græcis horrorem & frigus notat, ea magna ex parte syderis iniuria, & ob uaria serpentum & atrocissimarum ferarum genera inculta, cæterum qua septentrionē spectat & mari obuersa iacet frequentissima & eximie fertilis, cœlo terraq; aquarum penuria, eo quòd feruida cœli natura & penè semper æstiua est. Genus hominū in ea salubri corpore, uelox, laborum patiens, uerum infidum, etiam si dexteram suæ fidei pignus dederit, & ad omnē auram mobile. Atlas mons è medijs arenis consurgens eam in duo latera secat, qua Oceanum cui nomen impositum spectat asper & squalidus, idem arboribus uestitur, & flumi nibus irrigatur, & omni genere fructuum abundat qua spectat mare nostrum, tantæ altitudinis ut uerticem semper πυκνοῖσι καλυπτόμενον νεφέεσι densis & assiduis nubibus cinctum habeat, indigenæ Dyrim & cœli columnā uocant, & Atlas rex Mauritaniæ dies cum suis noctibus in eo sedit, & primus omnium cursum solis & lunæ, syderumq; omnium ortus & occasus hominibus tradendos curauit.

MAVRITANIA.

MAuritania Tingitana prima Africæ regio, ab oppido Tingi nomē sortita, huius oræ finis ab ortu Mulucha fluuius,

fluuius, ab occasu Oceanus Atlanticus & extimum illud promontorium quod Ampelusiam uocant, ab aquilone freto Gaditano & mari Iberico terminatur, à meridie Atlanti & Getuliæ occurrit. In ea Abyla mõs quem Hispani Simicam dicunt, Calpe qui in Hispania est oppositus, columnas Herculis (ut antea diximus) utrumq; uocamus, præterea montes in ea ἑπτάδελφοι, i. septẽ fratres, ob numerum & similitudinem dicti. Oppida in ea sunt, Tingi ab Antæo portentosæ magnitudinis homine conditum. Lixos Antæi regia, & iuxta Hesperidum horti aureis arboribus & pomis famigerati, sed eius rei hodie memoria nulla nec uestigium exstat, & præter Oleastros inibi conspicitur nihil. Babba Augusti colonia, ea portio Mauritaniæ quæ in Atlanticum pelagus inclinat Bogudiana, altera quæ in ortum Bochiana, & postea Cæsariensis nominata, regnum Fessæ & eiusdem nominis urbem hodie Mauritania complectitur, littoralis Mauritaniæ portio Regibus Hispaniæ, interior exempta Regum ditioni Saracenis paret.

NVMIDIA.

NVmidia quæ & Cæsariensis à quibusdam uocatur, à Græcis Metagonitis dicta, ad Ampsagam fluuium à Solis ortu desinit, ab occasu Mulucham terminum habet, à Sep. pelagus Numidicum quod & Sardoum ibi dicitur, à meridie Atlantis iugis quos montes Lybicos istic dicimus excipitur. Numidæ dicti, quòd ante Masinissam regem ferè uitam pastoritiam uiuebant, radicibus, carne, lacte & caseo utebantur. Vrbes, Cirta mediterranea, Cullu quæ & Colops, Arsenaria, Cartenna, Iol nunc Cæsarea urbs maritima, Icosium. Amnes, Ampsaga, Nabar, Numidæ longe primum in Africa equitum genus, equos habent par-

uos,& quibus primore aspectu nihil contemptius, sed mire pernices, singuli pro opibus quâmplurimas (ut sunt ante omnes Afros in uenerem effusissimi) uxores, denas alij, alij plures habent. Massesyli qui & Massyli gens Numidis affinis, quorum rex olim Syphax, magnus atrocissimarum ferarum in omni Numidia prouentus.

AFRICA MINOR.

AFrica minor quæ alijs Zeugitana & proprie Africa uocatur, ad solis ortum aras Philenorum & Syrtim maiorem habet, ab occasu Ampsagã fluuium, à septen. mare Africum, à meridie deserta Lybiæ. in ea oppida sunt, Sicca, Hippo regius diuo Augustino præsule nobilis, Hippo διαῤῥῖτος Romanorum colonia, propter aquarum irrigua sic dictus, unde Hipponensi sinui nomen est, ad quem omnis ætas piscandi, nauigandi, atq; etiam natandi studio tenetur, etiam amore Delphini olim in puerum notior, Vtica Catonis morte clara hostio Bragadæ imposita, Chartago Didonis opus, septuaginta duobus annis ante Romam condita, urbs clarissima, quam æque orbis terræ imperiũ, ut Romanos solicitabat, in media urbe arx fuit nomine Byrsa, à corio dicta, nam Dido cum pelleretur ex Libya ab Iarba rege callide tantum soli ab eo mercata est, taurino quantum posset circundare tergo, uerum corium in tenuissimas corrigias sectum tetendit, atq; ita magnum loci spacium occupat, quod etiã testatur Dionysius καρχηδὼν, ὧν μῦθος ὑπαὶ βοΐ μετρηθῆναι. i. Chartago quam fama bouino à tergore mensam: ex ea in ultimo urbis excidio Hastrubalis uxor se flagrantis in medium urbis incendium duobus cum liberis præcipitauit, huius alumnus Hannibal Amilcaris filius, uir qui in rebus gerendis & audendis tum cõsilio, tum ui pollebat, mirus omnium

nium insidiarum artifex, bello tamen & pugna quàm victoria semper clarior. Quanta urbs deleta sit, uel hinc æstimari licet, quòd uiginti tria milia passuum in circuitu labore maximo obsessa est, quòd septingenta hominum milia in deditionem coacta, quòd decem septem continuos dies arsit, Tunes abest à Chartagine duodecim milia fermè passuum, locus tũ operibus, tum suapte natura munitus, unde hoc tempore regno Tunetis nomen, quod Carolus Cæsar anno superiore expugnauit, is inquam Carolus, cuius nomen duobus potentissimis in terris regibus, Turcorum uidelicet & Gallorum suspectum & formidabile est: faciat Deus ut inceptis suis euentus pares reddantur. Thenæ quoq; à Carthagine absunt ducenta & decem septem milia passuum, est & Tagasta, Neapolis, Adruma ciuitas in qua Carthaginensium naualia, Tapsus, Thera ad Syrtim minorem, Abrotanum, Clupea, Madaura Apulei Platonici philosophi patria, Oea, Leptis, Taphra, Neapolis & Leptis altera, Zama, Tacapa ubi uites Biferæ, in mediterraneis colunt Libophœnices ad utranq; ripam Bagradæ, ubi Bizantium & ager Bizantinus. Amnes, Ampsaga, Rubricatus, Bragada, Triton, & penè eiusdem nominis palus Tritonis, unde Pallas Tritonia, quòd primum ibi uisa est dicitur, Cinyphs ẽ colle qui uocatur Gratiarum fluens per Macas & Gindanes, inter duas Syrtes in mare decurrit: Gindanum uxores ut quæq; cum plurimis uiris congressa est, ita plurimas fimbrias pelliceas stupri precium habent, præclarissima censetur quæ quàmplurimas, tanquam reliquis amabilior fuerit. Syrtes, duo sinus sunt à tractu nominati, σύρω enim Græcis traho est, magnitudine impares, pari tamen periculo & natura, qui uti fors tulit nunc alti, nunc uadosi, & ob alternos uentorum flatus atq; mare, reciprocum nautis infesti, Lotophagi teste Strabone ad Syrtim

minorem habitarunt, sunt qui Lotophagorum terram fuisse putant Menninga insulam, quòd in ea Vlyssis ara ostenditur, εἶθα γὰρ ἀλφόμενος ἦλθεν ὀδυσεύς. huc enim errabundus uenit Vlysses. utraq; Mauritania cum Africa minore hac tempestate Barbariæ nomine censentur, & Saracenis parent.

CYRENAICA.

Cyrenaica ab ortu Catabathmon, hoc est decliuem ualem & antiquum Nili alueum habet, ab occasu Syrtim maiorem & aras Philenorum, à septent. mare Libycum, à meridie deserta Libyæ. Cyrenaicæ oppida primi no minis sunt quinq;, unde etiam Pentapolis dicta est, Berenice, Arsinoe, quæ & Teuchira, Ptolemais antiquo nomine Barce, Apollonia, & unde regioni nomen Cyrene à Batto Lacedæmonio condita, promontorium Phycus Cretico mari obiacens. Cyrenenses fuere Aristippus Socraticus Cyrenaicæ philosophiæ autor, & Areta eius filia quæ patri in schola successit, et Aristippus filius qui matri, & ob id μητροδίδακτος cognominatus, Callimachus poeta, & Eratosthenes Mathematicus, illustratur etiam regio Iouis Ammonij templo & oraculo quod undiq; densis nemoribus & amenissimis fontibus ambitur, mira ibi semper temperies & perquàm similis uernæ, Ammoniam totum hunc tractum uocant, ibi etiam domos è sale fossili ceu saxo extruunt, fons cuius aquæ per uices nocte intempesta feruent, medio die rigent. Mareotidis siue Marmaricæ nomen habet, qua Aegypto propinqua est, Nasamones, Græcis Mesammones & in medijs arenis iacent dicti, interius habitant, tametsi quidam dicant eos maioris Syrtis accolas. mos est illis cum uxoribus suis quas multas habent in oculis omnium concumbere

mbere, mortuos sedentes sepeliunt, hocq; summa ratione
ustodiunt, ne moriens supinus animam efflet, his finitimi
ant Psylli olim ab Austro deleti, quorum fines tandem
asamones occupauerunt.

DE INTERIORIS AFRI-cæ gentibus.

DAucis ad interiora Africæ penetrare contingit, tum q̃
per arenas quæ introrsus cedentes, uestigium q̃ in modũ
ti aut niuis fugientes iter est, tum q̃ ea regio solis ardori-
is exusta, multumq; aquæ indiga malefico serpẽtum gene
scatet, ea tamen tota Aethiopiæ nomen habet, & alicubi
iam Indiæ, huius prima pars est Libya interior, cui ab Aq
ne utraq; Mauritania, Africa minor & Cyrenaica immi-
ent, ab ortu Aethiopia quæ est sub Aegypto, ab occasu
ceanus Aethiopicus, à meridie solitudines quædam sa
uloſæ, in ea Getuli & Garamantes. Getuli asperi & in-
lti olim erant, quis cibus erat caro ferina atq; humi pa-
ulum uti pecoribus, neq; moribus, neq; lege aut imperio
iusquam regebantur, uagi, palantes, qua nox coegerat
des habebant. Garamantes, grandis natio, quibus nulla
ori coniugalis fides, nulli certa uxor, promiscue concum-
unt, sic fit ut numero langueat amor, Senegæ regionis no-
en id temporis acceperunt. Nigris fluuius, qui nunc Sene
, cui eadem natura quæ Nilo, hos à Getulis dirimit. Ae-
iopia duplex, altera ad solem orientem sub Aegypto est, &
mare rubrũ usq; abit, colitq; Deũ trinum & unum, Rex
estoianes ut dicunt, censetur Indiæ nomine, caput est Me
e ciuitas & eiusdem nominis insula quæ ad tria stadiorũ
lia inter Nilum protenditur, regnum Habassiæ nunc dici-
r, iuxta Meroen locus est, semper apparatis epulis instru-

ctus, unde quibus libet uesci licet, Solis mensam uocãt. Alt
ra ad Oceanum occiduum, qui eam incolunt Hesperij in ur
uersum dicuntur, distincti in Terotas, Perorsos, Berino
& Nigritas, à Nigri quem diximus fluuio dictos, Aethiop
mulieres in procinctu aduersus hostem stare solent, or
labium æneo circulo traiectæ, Meroenis propinqui sur
Macrobij dimidio plus eius temporis quo nos uiuentes, iu
xta lacus est quo perfusa corpora uelut oleo nitent, ultra de
serta Libyægyptij & Leucæthiopes, ultra illos longe in Au
strum degunt Syrbotæ xij. pedes longi, Ptœmbari quibus c
nis pro rege est, ex motu & gestu eius iussa coniectant, Cyn
molgi caninis rictibus, Troglodytæ quibus specus pro don
bus, uiuũt carne serpentum & reliquorum reptilium, stridũ
instar uespertilionis potius quàm loquuntur, apud eos lacu
est q̃ suis uicibus ter de die amarus, ac deinde dulcis fit, totie
etiam noctu, albis serpentibus refertus, Blemmyæ sine cap
tibus os & oculos infixos humeris habentes, Atlantes qui f
lem orientem diris execrationibus insectantur tanquam sib
agrisq; suis exitialem, Augilæ à Garamantibus itinere di
rum absunt duodecim, inferos solos colunt, quorum uxor
bus solenne est prima nocte stupro omnium exponi, eximi
decus est cum plurimis tanquam re bene gesta concubuisse
Gamphasantes nudi agunt, sunt & Anthropophagi, Oph
ophagi, Ichthyophagi. Satyri & Panes ad eum montem h
bitare dicuntur quem Græci Θεῶν ὄχημα, Latini currum D
orum uocant, eo quòd istinc noctu cymbala & tympana au
diuntur, ferarum monstrosarum & serpentum ingens mul
tudo, ad Nigrim fluuium Catoblepas gignitur, iners & pus
la bestia prægrandi capite, quòd ægre sustinens semper i
terram demittit, oculos eius uidisse lœtale est, in quibusda
locis dracones qui uerbere caudæ potius quàm morsu nocẽ
in Aethiopia Nabis, collo equo, pedibus boui, capite cam

lo sim

ſimilis, ibi etiam Cephus, cuius priores pedes manibus
oſteriores pedibus humanis ſimiles, Rhinoceros cui cor-
u è Nare creſcit, Sphinx monſtroſum Aethiopiæ animal
ſimiarum genere, fuſco pilo, mammis in pectore geminis
ecie propemodum humana, Lynx cuius urina ſolidatur in
pidem, qui lyncuriũ dicitur, acutiſſime omnium quadru-
edum cernit. Pegaſus equus uolucris. Mantichora triplici
entium ordine pectinatim coeunte, apud Garamantes bo-
es ſunt, qui non niſi obliqua ceruice & peſſum euntes pa-
i poſſunt, Baſiliſcum Cyrenaica gignit, ſerpens tam præ-
ntis ueneni eſt, ut uel ſolo intuitu interimat.

ASIA.

ASia in orbis terrarum diuortio tertia pars eſt, reliquis
duabus par, ab Aſia Nympha Oceani & Tethyos filia
omen habere putatur, Oceano à tribus partibus circum-
ribitur, Eóo ab ortu, à meridie Indico, à ſeptentrione Scy
ico, ab occaſu altero cornu Nilum, altero Tanaim at-
ngit, media Euphrate fluuio excipitur, Ea uero frons
iæ magnæ Cherſoneſi inſtar inter Pontum & Iſſicum ſi-
um, mare Pamphylium & Icarium Boſporo Thracio, Pro
ontidi, Helleſponto & Aegæo mari ſeſe opponit,
que adeo Aſiæ pars eſt & minoris Aſiæ nomen tenet.
iàs à nobis quantum ad rei neceſſitatem attinet tractabi-
r, uerum ad rem redeamus, Taurus mons, qui à Tauri a-
mãtis forma quam exprimit nomẽ inuenit, ab Eois ueniẽs
toribus in occidentẽ rectus abit, & circa Chelidoniũ pro-
ontoriũ, q̃d eſt in Lytia deſinens hanc mediã diſtrahit, nu-
eroſis & nouis nominibus quocũq; incedit inſignis, prima
us pars & ubi exoritur Imaus dicitur, inde Hemodes &
Paropa-

Paropamiſſus, iterum Imaus ubi in oceanum Scythicum a
it, Oroates cum in occaſum tendit, inter Parthos & Perſa
Choatras, iuxta Aſſyriam Zagrus, ubi imminet Meſopo
tamiæ Niphates, ſupra Iberiam & Albaniam in immen
ſum aſſurgens Caucaſus, licet id nominis habeat etiam inte
Hemodem & Paropamiſſum, Coraxicus ſupra Colchos
ad Cilitiam Amanus, in Armenijs Antitaurus, ultra in oc
cidentem Maſſycites, Cragus, Cadmus, Phœnix, Cilen
us, quinetiam plura plurium gentium induit nomina, nam
& Caſpius, Hircanus, Amazonicus, Moſchicus, Scythicu
Græcis in uniuerſum, Ceraunius Scythis Graucaſus dici
Aſia tam opima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, &
uarietate fructuum, & magnitudine paſtionum, & multitu
dine earum rerum quæ exportantur, facile omnibus terri
antecellat, eius prima pars eſt Aegyptus.

AEGYPTVS.

AEgyptus à mari Aegyptiaco introrſus in meridiem
ad urbem Syenen quæ hac tempeſtate Aſſua dicitur
& cataractas uſq; immittitur, Ab ortu Iudæa, Arabia pe
trea & mari rubro clauditur, ab occaſu Catabathmo. Sci
quibuſdam totam terram diuiſam in tria membra, Euro
pam, Africam, & Aſiam, Aegyptum tanquam quartam
quandam portionem, ſed cæterarum comparatione mini
mam ab ijs omnibus excludentes, ipſa expanſæ in ſuos dig
tos manui ſimilis. Superior eius pars Aethiopiæ cõtermi
Thebais ab urbe Thebarum centum portarum fama nobil
dicitur. Inferior Deltica à Δ græcanicæ literæ figura, terra
quæ omnium rerum copia abundat, cœlum mitiſſimum
uberrimus ager, & non immerito horreum orbis terrarum
uocata, uini generoſiſſimi ferax, à primo ſatu tertio di
legumin

legumina erumpunt. Aegyptij quemadmodum cœlum & flumen habent diuersæ naturæ, ita etiam mores & uitæ genus, forum ac negocia fœminæ, uiri pensa & colum curãt, hi onera capitibus, illæ humeris baiulant, fœminæ stantes uiri sedentes mingunt, consperſionem pedibus, lutum inter manus subigunt. Græci scribunt â siniſtro in dextrum manum ferentes, Aegypti contra. ſacerdotes Deorum alibi comati ſunt, in Aegypto deraſi, uirilia circumcidunt ut dicunt mundiciei cauſa, mortuos condiunt & domi ſeruant, magnifice de ſe, contemptim de alijs loquentes, quippe qui omnium hominum primos ſe fuiſſe contendunt, gens ad ſuperſtitionem uſq; religioſa, porrum & cæpe nefas uiolare ac frangere morſu, lanatis animalibus abſtinet omnis menſa, nefas illic fœtum iugulare capellæ, carnibus humanis ueſci licet. Apis bos niger certis maculis & his quidem candidantibus in dextro latere inſignis cõmune totius gẽtis numen, gloriat Aegyptus ſe nihil cœlo, nihil imbribus debere, ſiquidẽ quotannis Nilo amne perfunditur, quem Homerus Διϊωπέα ideſt cœleſtem nominat, qui terræ uber iuuat, & quod inundat & quod collimat. Oritur autem Nilus, ut quidam aiunt ex monte Atlante in Macennitide regiuncula Mauritaniæ, plæriq; autem eum oriri dicunt in montibus Aethiopiæ quos Lunæ uocãt, alij opinantur hunc fontibus ignotis noſtrum procurrere in orbem, Aethiopiamq; mediam ſecare, ac ubi Meroen late patentem inſulam facit & Elephantida, per duos cataractes qui ſunt prærupti quidam copuli ſuperiore parte plani aquis in arcto luctantibus præceps, atrox & feruens cadit in profundum, locus is Græcis κατάδουπα nominatur, gens quæ illum locũ accolit propter ſonitus magnitudinem ſenſu audiendi caret. Nauibus in his locis plicatilibus & quas humeris transferre poſſunt ſtuntur, tandẽ placidior ἐπὰ δὲ σωμάτων ἐλιγμοὺς εἰς ἄλγε

πίσσα. Hostia per septem deuoluitur in mare nostrum, nomi na hæc sunt, Canopicum quod etiam Hæracleoticum, Bol bitinum uel Bolbiticum, Sebenniticum, Pathmicum, Strabo ni geographo Phatnicum, Mendesium, Taniticum, & Pe lusiacum, ab illustribus oppidis, quæ illis adiacent dicta. Sca tet Nilus crocodilis, hippopotamis & aljs uastis beluis, Cro codilus ἀμφίβιος est, dies in terris noctes in aqua agit, nascit hæc belua quæ magnitudine sua plærunq; excedit duodeui ginti cubita ex ouo quantum est anseris, oculos suis habet, dentes magnos serratosq;, cutem corticosam contra om nem ictum inuictam, uisum in aqua hebetem, extra acerri mum, & cum omnia animalia maxillam moueant inferio rem, unus Crocodilus superiorem mouet, huius dormientis in littore rictum trochilus parua auis inuolat pabuli sui gratia, repurgat dentes, Crocodilus scabendi dulcedine illec tus, & commode secum agi sentiens nihil nocet, sed cum e gredi auẽ uult ceruices mouet, ne quoquo modo lædat. Hip popotamus equus fluuiatilis est magnitudine maximi tau ri, ungulis bifidis, dorso & iuba & hinnitu equi, rostro re simo, dentibus aprorum aduncis, corio tam crasso ut ex eo arefacto fiant iacula. Aegyptij ibidem auem nigram cruribus gruinis, rostro adunco eoq; corneo ob hanc utili tatem consecrarunt, quòd serpentes uenenatos tempore ineuntis ueris ex uastitate Libyæ in Aegyptum quotannis uolantes agmine auertunt & interficiunt, sed hæc leuia & transeunda, illud memorandum quòd in Aegypto sunt pyramides, id est turres quædam fastigiatæ, è lato in a cutum tendentes, tres inter Memphim & Delta quæ or bem terrarum fama sua impleuere, quæ altius quàm con spici potest usq; in nubila erectæ erant, ut in quæstionem ue niret, qua ratione cementa subuecta sint, trecenta sexaginta hominum milia annis uiginti unam cõstruxisse produntur,

& in

& in raphanos, allium ac cæpas quibus operarij ueſcerentur mille octingenta talenta erogata, Fuit præterea in Aegypto Labyrinthus, portentoſum humani ingenij opus, qui uarias itinerum ambages, occurſus & recurſus inextricabiles habebat, habitacula ter mille, ſubterranea mille quingenta, totidem ſupra terram, quo ſi quis ſine glomere lini intraſſet, exitum inuenire nequiuit. Reges Aegypti priſcis illis temporibus Pharaones appellati ſunt, deinde Ptolomæi, nouiſſime uocabulo Saracenico, Sultani. Vrbes Aegypti & clariſſimæ & maximæ, Alexandria forum rerum uenalium non modo Aegypti, ſed totius terrarum orbis quàmmaxime celebratum, Marcus Euangelium ſuum in ea populo annunciauit, Alexander eam condidit ad Mareotim lacum, unde Libya Mareotis dicta eſt, latitudo lacus eſt ſchœnorum quadraginta, deinde Nicopolis Auguſti opus, Canopus ubi Serapidis, q & Oſyris templum eſt, Heracleopolis, Sais ubi Saiticus nomos. diuiſa enim eſt Aegyptus in multos nomos. i. præfecturas, Mendes ubi Pan deus & hircus colũtur, Cynopolis unde Nomos Cynopolitanus, Mercurius quem Anubim uocant, ſub effigie canis ibi colit, Peluſium nunc Damata, Bubaſtus quæ lerapolis & quã ſacræ litteræ Hieſſen uocãt, Babylõ colonia olim Caſtellũ nũc miræ magnitudinis urbs Sultani regia Cairus hodie. Memphis Arſinoe & inibi Nomos Arſenoites, in ea Crocodilus adoratur, Oxyringus piſcẽ eiuſdẽ uocabuli ꝓ Deo habet, Lycopolis cultui luporũ dedita, Tentyra unde Tentyritæ q crocodilis formidini ſunt. In Thæbaide Thebæ quæ & Dioſpolis & ἑκατόμπυλος, tria uicorũ milia habuit, ambitu ſuo centũ & q̃draginta ſtadia cõplectebatur, et in qua ædes ferè oẽs ad quartã aut quintã cõtignationẽ uſq; ſurgebãt. Captus Aegyptioꝝ & Aethiopũ emporiũ. Ptolemais, Syene ubi fons quem ſol recto intuitu irradiat in ſolſtitio æſtiuo, Elephãtis

insula & eiusdem nominis urbs, Berenice matris Philadelphi nomine è regione Syenes.

ARABIAE TRES.

ARabia triplex præter illam quæ longo terrarum excursu à ripis Nili ad loca mari rubro proxima tendit, & quam Arabes quos Aegyptiacos uocant incolunt, Petræa, Deserta, & Fœlix.

ARABIA PETRAEA.

ARabia Petræa à limite occidentis terminatur Aegypto, ab ortu Arabia fœlice, qua septentrio est Iudæa Palestina, à meridie sinu Arabico. Gentes in ea, Nabatæi, & Agreni. Oppida, Ostracine, Petra unde regioni nomẽ, hodie Arach, sacræ literæ Petram deserti uocant, undiq; inaccessis montibus septa. Elana unde sinus Elaniticus. Bostra, Gerasa, Philadelphia, Philippolis. Mons Melanes qui & Casius, & Sina, & Sineus, & Choreb dicitur, sepulchro diuæ Catarinæ & Pompeij magni famigeratus.

ARABIA DESERTA.

ARabia deserta etiam Scenitis dicta, nam gens uagabunda sine certis domicilijs in tabernaculis & tentorijs agit, σκηνὴ enim Græcis tentorium notat, ea ab ortu Babyloniam & sinum Persicum attingit, ab occasu finitur Petræa & ea linea quæ ducitur à montanis Arabiæ Fœlicis usq; ad Nagudam urbem Mesopotamiæ, à borea Mesopotamia, à meri. montibus fœlicis Arabiæ occurrit. Huius incolæ sunt Bathanæi, Orcheni & Marteni. Oppida

Tapsacum

Tapsacum & Amphipolis, regio inculta ac deserta, alto sabulo plæraq; operiente, & in primis aquarum inops.

ARABIA FOELIX.

ARabia fœlix inter duo maria Rubrũ Persicũq; percurrens instar Italiæ mari perfunditur, & in eandem cœli partem spectat, à septentrione Arabiam desertam & Petræam habet, ab Austro mare Rubrum, ab ortu sinum Persicũ & mare quod à faucibus illius ad Syagrum promontorium usq; effunditur, ab occasu sinum Arabicũ, cinnamomi, thuris, myrrhæ, ladani, & aliorum odorum maxime fexax, auri grana inter glebas terræ temere iuglandium magnitudine iacentia inueniuntur, mellis, cæræ, pecudum, mire abundãs, suibus exceptis, hoc animalis genus si inuehitur, illico emoritur, Cinnamomo & casia ignes fouent, nascitur in Arabia & Phœnix uiuax, unica semper auis, de cuius ætate uaria traduntur, maxime tamen uulgatum quadraginta & quingentis annis eam durare, in uniuersum gentes Arabiarum ditissimæ sed imbelles, & mercatores potius quàm milites, crine intonso omnes, barba abraditur præterquàm in superiore labro quæ Græce μύστας dicitur, Saraceni eas tenent, gentes eius innumeræ, Saraceni, Homeritæ, Sabæi Arabum propter thura ditissimi, quorum regio Saba, Gerræi, Chatromoritæ, qui reliquis Arabibus gloria armorum præstant, urbem habet Mecham sepulchro Mahumeti nobilem. Montes, Hippos, Zames, Climax.

SYRIA.

SVnt qui Syriæ & Assyriæ uocabula confundunt, nam q Syri Græcis Barbaris addita syllaba Assyrij dicũtur, uetum

rum nos de Syris seorsum loquemur, de Assyria aliàs dabit mihi loquendi occasio. Syria igitur à septen. terminum habet Cilitiam & montem Amanum, A merid. Arabiam petræam, ab ortu Euphratem & Arabiam desertam, ab occasu pelagus Phœnicium siue Syriacũ. Partes Syriæ sunt, Palæstina, Phœnice, Damascene, Cœlesyria, Decapolitana, Antiochena, Pieria in littore sinus Issici, Comagena ad mõtem Amanum, Cyrestica inter Singam & Euphratem, Palmyrena ad Libanũ montem, Trachonitis iuxta fines Arabiæ petræ, Plinius & Babyloniam & Mesopotamiam quoq; Syriæ iungit.

PALAESTINA.

PAlæstina olim Chanaan dicta, Idumæam, Iudæam, Samariã, & Galilæam cõplectitur, tametsi Iudææ nomine totã Palæstinã non raro appellamus, ea ab ortu limitem habet Libanũ montem, Ab occasu mare Phœniciũ, à sept. Phœnicen, à merid. Arabiam petræã, Idumæi ab emersu Sirbonis lacus in occasum habitãt, quorũ urbes Maresa, Rhinocorura, & intus Raphæa, Gaza quã alij Iudææ tribuunt, Anthedon, Ascalon, Azotus. Iudæa ab occasu & meridie iũcta est Idumææ, incertis tamen limitibus, & à mari nostro q̃d ei est à sept. ad Asphaltiten lacum & aliquantulũ ultra porrigitur, ubi Transiordanes nomen habet. Vrbes Iudææ multæ, sed urbiũ oriẽtis longe clarissima Hierosolyma, templo quod fama sui orbem terræ impleuit insignia, Salomon rex septenni centũ quinquaginta milium hominũ opere ad culmen perduxit, Ioppe uicus, nũc Iapher, Turris stratonis quã Herodes tetrarcha in honorẽ Augusti instauratã Cæsaræam dixit, & intus non ita procul à Hierosolymis Bethleem, Chebron, Cypris, in transiordane Macherus, Sodoma, Gomorra. Samaria

maria sequitur Iudæam inter mare nostrũ & lacum Tiberiadis sita, Vrbes Sichẽ aut Sichima, quæ postea Neapolis, Capernaum in littore lacus Genesareth, Bethsaida ad Iordanẽ, Corazim, Magdalũ. Galilæa ab ortu Syria Caua claudit, latere occiduo Phœnicia, à sept. Libanus & Antilibanus eã amplectũtur, A merid. Samaria. Vrbes, Nain, Cana, Nazareth, Gadara, Galilæa cognomento gentiũ finitima Tyriis in sorte tribus Neptalim, altera in tribu Zabulon è regione Tyberiadis ac stagni Genesareth. Iordanis fluuius in Antilibano monte duobus fontibus, quorũ alteri Ior, alteri Dan nomen est exortus, mediã Iudææ perlabitur, qui ut nominibus ita aqs iunctis duos lacus facit, primũ Genesarã, alterũ Tiberiadẽ, & in Asphaltiten lacũ qui bitumen gignit, & in quo nihil mergitur, atq; ob immobilitatem aquarũ mare mortuũ dicitur sese infundit, in eo'q; aquas suas laudatas pestilẽtibus mistas amittit: Longo à Hierosolymis recessũ cam pi sunt igne diuino exusti, altis enim cineribus terra oppleta est, poma in eo loco nata quamuis foris uiridia & esui apta uideãtur, intus tamẽ fuliginẽ quandã nigram habẽt ut mandi nõ queant. Palæstina palmetis, & balsamo inclyta ꝙd omnibus odoribus præfert, & in sola Iudæa, puenit, duobus tantum arbustis, altero iugerũ uiginti nõ amplius, altero paucioꝝ, arbuscula uiti similis folia rutæ habet, cãdidiora tamen ꝑpetuo uirescẽtia, incidit uitro aut osseis cultellis, lachryma quæ ex incisura manat opobalsamũ dicit, cui præcipua gratia est, secũda semini, tertiũ locũ cortex obtinet, ultimus honos ligno. Esseni interiora Iudææ tenent, à reliquoũ hominũ ritu recedẽtes, abstinẽt ab uxoribus, uino, carnibus, ꝙtidianũ ieiuniũ in naturã uertũt, pecuniam nesciũt, uitã patientius ꝯ Dei cultũ aut reliqua pietatis officia deserunt, gens æterna ꝯ uis in ea nemo nascit, indies tamẽ cõuenarũ turba renascit.

PHOENICIA ET RELIQVAE Syriæ partes.

PHœnitiæ, Damaſcænæ, Cœleſyriæ & reliquis Syriæ partibus à cardine orientis Arabia deſerta & Euphrates occurrunt, à ſeptentrione utraq; Armenia, Cilitia, ſinus Iſſicus & mare Phœnitiũ ab occaſu. Phœnices ſolers hominum genus, inuentione literarũ, Arithmeticæ, Aſtronomiæ, Nauticæ, & purpurarũ piſcatu maxime inſignes. urbiũ quæ illis ſunt prima eſt Dora, tandem mons Carmelus, ad cuius radices palus Candebœa quæ Belum amnem emittit, & iuxta Ptolemaidem in mare effluit, lentus, limoſus, ad cuius ripas officinæ uitrariæ originem habuerunt, Tyrus & Sidon. Tyrus quondam inſula tandem continens, eò etiam memorabilis, quòd Fridericus Barbaroſſa eius nominis primus apud Germanos Imperator, natione Sueuus, ibi ſepultus eſt, qui nominis ſui magnitudine toti terrarum orbi terrorem iniecit, Vir & animo & conſilio magnus, ad opera militaria iam inde à puero aſſuetus, corporis robore & pœritate ſpectabilis, is cum iam ambitionem Pontificiam repreſſiſſet, Italiam & totam Europam pacaſſet, Syriam ingreſſus Sultanum & Turcas graui & diuturno bello fatigat, lauandi ſtudio amnem ingreſſus ſubmergitur, corpus ſuum Tyri ſepelitur. Sidona, Tyrũ, Aradum, à numero Tripolim dicimus. Moſchus homo Sidonius primus omniũ dogma de atomis induxit, intus ad radicem Antilibani mõtis Cæſaræa Philippi, Ptolomæo Paneæ, non procul à Tripoli in campo Macra uiſus eſt ſerpens iugeri longitudinem æquans tanti oris rictu, ut equum & equitem inſidentem reciperet. In littore rurſus Berytus hodie Barutum, Byblos Paltus & in Seleucide regiuncula, Tetrapolis de numero urbium dictus locus, quæ ſunt Antiochia ad Daphnen ſyluã, Seleucia cognomento Pieriæ, nam eo nomine alia eſt ad Tigrim fluuium. Apamia, Laodicæa, in his locis Orontes flumen, quod in Cœleſyria exortum ſubtus terrã ſe condit, iterumq;

rumq; prosiliens per Apamiensem agrum & Antiochiam procurrens in mare defertur. Cœlesyriam Libanus & Antilibanus complexu suo ambiunt, ubi Damascus urbs, & Damascene regiuncula, & Decapolis ab oppidorum numero dicta, Laodicæa ad Libanum quam uocant, Scytopolis, Trachonitis habet Gerram & Eleram ciuitates. Palmyrenes urbs Palmyra altis arenis inclusa hodie Thadamum appellatur. Cyresticæ, Hierapolis & Borcea. Comagena pusilla sed fertilis regio. Vrbes habet, Samosata, & Germamkam. Antiochia idem nomen cum urbe tenet, cuius incolæ Antiocheni & Antiochenses dicuntur, regio proxima Cilitiæ. Flumina Syriæ clara sunt. Iordanis, Chrysorrhoa in Decapolitana regione, Belus, Adonis cui adiacet Byblus, Eleutheros prope Aradum, Orontes. Montes, Alsalamus, Carmelus, Antilibanus, Libanus, Casius, cuius tanta celsitudo ut quarta uigilia hinc solem orientem per tenebras aspiciat, illinc si corpus circumagitur noctem.

MESOPOTAMIA.

MEsopotamia quam latine Medamnem quasi inter amnes mediã dicere possumus. Ab aquilone terminat Niphate monte, ab austro tum Arabia deserta, tum etiam Babylonia & Euphrate, latus orientale Tigris, occidentale Euphrates alluit, qui eam quotannis Nili modo irrigat. Ager Mesopotamiæ uber fertilisq; omni genere frugum, uicis frequentius quàm urbibus habitatur, oppida multa inter præcipua tamẽ Carræ, sacræ litteræ Haran & Charran uocant, tandem est Nisibis, quæ & Antiochia & Mygdonia appellata est, Arbela uicus, Gaumela, Edessa, Zeugma. Curtius quinto libro scribit regionem quandam esse in Mesopotamia qui nomen Arabia habeat, tam ubere & pingui

solo, ut à pastu pecora repelli necesse sit, ne satietas perimat. Mons Casius. Flumina, Chaboras & Saocoras.

BABYLONIA ET CHALDAEA.

BAbylonia à solis ortu Susianen habet, ab occasu Arabiam desertam & Euphratem, à septen. Mesopotamiam, à merid. sinũ Persicũ. Chaldæa Babyloniæ pars est iuxta desertã Arabiam. Vrbes, Ninus quã Niniuen ecclesiastici scriptores nominãt, Iteſiphon, Teredon, Seleucia, Appollonia, & gentis caput Babylon Semiramidis reginæ opus, quã intermeat Euphrates, muri eius alti sunt ducenos cubitos regios, crassi quinquagenos, quãta huius urbis amplitudo fuerit uel hinc liquere potest, q̃ aliquando ut est apud Aristotelẽ in politicis ab hostibus expugnata, ultima urbis p̃s tertio uix tandẽ die resciuerit. In agro Babylonio nascitur bitumẽ, q̃d Naphthã uocãt, corpus hominis eo illitũ & igni admotũ statim exurit: à Babylone octo dierum itinere alia urbs nomine Is, & fluuius haud ita magnus eiusdẽ noĩs Euphratẽ influẽs, grumos Asphalti bituminis multos secũ deferens, qui extrudendis muris Babylonicis magno usui fuere. Flumina Euphrates & Tigris.

DE TIGRI ET EVPHRATE.

DE Tigri & Euphrate hoc loco dixisse conueniens fuerit, Euphrates ex Periarde mõte maioris Armeniæ ortus, ubiq; ripis æqualis lente fluit, aquæ eius terrã instar Nili fœcundant, fossæ ab eo deriuantur multæ, aliæ quidẽ perennes, aliæ tẽporariæ, q̃bus arua rigãtur, cursum ad occasum solis agit, inuẽturus in mare nostrũ fuerat, ni Taurꝰ sese huic opponeret, inde in meridiẽ auersus Mesopotamiã complecti

tur

tur in sinũ Persicũ, nõ pdurat, uerũ ingens modo & nauigabilis emoritur, & nusq; manifesto exitu effluit. Tigris Omim fluuiorũ orientis lõge uiolentissimus, nomen huic à pernicitate, Tigris enim Medis sagittã notat, oritur in regione Armeniæ maioris, loco non admodũ edito q Elongosine nominatur, cq; Euphrates depressior & humilior, quippe qui multas ab eo fossas admittit, in specus subtus terram mergitur, rursumq; exortus uasto alueo sinui Persico infunditur.

DE ASSYRIA.

ASsyriæ uocabulũ scriptores subinde p Syria usurpãt, pariter Babyloniæ nomẽ in Assyriæ & cõtra Assyriæ in Babyloniæ appellationẽ concessit, uices regnorũ, & alternata imperia hoc faciunt. Verũ Syrorum nomen procedit à Babylonia usq; ad Aegyptiacũ pelagus, sinũ Issicum, & inde olim ad Euxinũ, quare utriq; Cappadoces, & qui ad Taurum, & q ad pontũ Euxinum iacent, Leucosyri appellantur, tanq; sint aliqui Syri nigri: sunt qui Assyrios amnis Tigris accolas esse dicunt. sed ut eo sese referat oratio unde digressa est, Assyria regio Babyloniæ contermina & Assyriæ siue Syriæ dicere mauis pars, ab ortu attingit Mediam, ab occasu finitur Mesopotamia & Tigri flumine, ab Austro Susiane à septent. Armenia maiore, Adiabene quæ Plinio Assyriorum initium dicitur, Arbelitis, & Sittacene partes sunt Assyriæ. Vrbes, Arbela & Sittaca. Flumina, Caprus & Lycus.

MEDIA.

MEdia ab ortu Hyrcaniam & Parthiam, à septentrione Hyrcanum mare attingit, Ab occasu solis Armenia maiore & Assyria, à meridie Susianæ & Persidę excipit, inter

Medos & Parthos Pylæ Caſpiæ ſunt, hoc eſt clauſtra interruptis anguſto tranſitu montium iugis, quarum longitudo octo milium paſſuum eſt, latitudo tanta ut uix ſingula plauſtra per eas meare poſſint. Vrbes Mediæ, Apamea, Laodicea, Rhaga, Seleucia, Arſatia, & quæ Seleucus rex cõdidit Ecbatana. Montes Choatras, Zagros. Flumina, Cambiſes, Cyrus, mulieres Medorũ laudi ſibi ducũt ſi ꝯplurimos amatores habent, pauciores quinꝯ ſummam calamitatem putant, deſinit enim uideri turpe quod depraua conſuetudo receperit. Sunt aliquot Mediæ regiunculæ Propatena quæ occidentem reſpicit, Elymais in ſeptentrionem uergens, Rhagana in ortum.

SVSIANA.

SVſiana ab aquilone Aſſyriam, ab occaſu Tigrim, ab ortu Perſidem, à meridie Perſicum ſinum habet. Coſſæi Suſianes populus latrocinijs nati, Elamitæ ad Eulæum fluuium quorum regio Elymais magna dicitur, quo ſecernatur ab ea Elymaide quæ eſt in Media, ſiue ut diuus Hieronymus 25. cap. apud Hieremiam dicit Elam, Suſa urbs ad Choaſpem fluuium uetus Perſarum regia templo Dianæ Suſiæ illuſtris, ambitu ſuo includit centum uigintiquinꝯ ſtadia. Suſis fonticulum eſſe legimus, ex quo ſi quis biberit, protinus reddit ut edentulus. Sunt præterea urbes Suſianæ, Magoa, Charax in regione Characena, & in ſeptentrionali Tigris alueo Babitace cuius ciues miro auri odio flagrant, in terrã defodiunt ne cui ſit uſui. Flumina, Eulæus in Medis ortus, cuius aquam Perſarum reges quòd pura & ſalubris eſt bibunt: Choaſpes, & modicarum nauiũ capax Granius.

PERSIA.

Per-

PErsidem Bragadas fluuius siue duæ Carmaniæ terminãt ab ortu, in occasum usq; ad Oroatem amnẽ panditur, ad septentrionem Mediam & Parchoatrã montem habet, à meridie sinum Persicum, hæc olim regno totius Asiæ non tam uirtute bellica quàm multitudine ualens potita est. Persam incolũt Patischores, Achæmenidæ, & Magi hominum genus sapientiæ studio deditum, & sanctum quoddam uitæ institutum sectãs, quorum mos cum matribus coire id, qd etiã Catullus poeta testatur, sic enim canit: Ex matre ac nato Magus nascatur oportet: mortui alitibus dilaniandi abiciũtur. Vrbes Persiæ, Cyrus siue Cyropolis quæ & Cyrechata appellatur, ad mare posita Laodicea, Passagarda, & regni caput Persepolis ad Araxem fluuiũ, quã Alexander, cui res gestæ magni cognomentum fecere, ebrius hortatu Thaidis quæ fuit scortum castrense faces immisit, eamq; solo æquauit, hunc infœlicem exitum habuit illa inclyta tot regum domus & altrix, totius orientis lumen & domina, Græciæ & cæterarum gentium terror.

PARTHIA.

PArthi Scytharũ exules fuerunt, quod uocabulũ indicat, nam Parthus Scythico sermone exulẽ notat, hi seditiõe domo pulsi modicã terrã inter Hyrcanos, Arios, & Carmanos tenuerũt, obscurũ & seruile uulgus ab initio tandẽ eo fœlicitatis processerunt, ut gentibus qbus antea seruierãt imperarent, cũ Romanis multa bella, multa uirtute gererẽt, orientis imperium sibi uendicarent, hi undiq; septi sunt montibus, Hyrcanos & Coronum montem ab septen. ab ortu Ariam, Carmaniã desertã a meridie habẽt, ab occasu Mediam, inclytæ fertilitatis regio & amœnissimus situs in ea pte quæ Chorara dicitur, cæterum solitudinibus quibusdã squalet, & plæ-

raq; eius loca aut æstus aut frigoris magnitudo possidet, nam prærupta montiũ niuibus, campestria solis ardoribus infestantur, pugnãt procurrentibus equis, sæpe fugam simulant & prælio deserunt, & cũ maxime uicisse te putas, tũ sine mora circumfusi undiq; in modũ grandinis atq; nimborum denses sagittas mittunt, Vxores singuli plures habent, nec ullum delictum seuerius adulterio puniunt, dictorum promissorumq; fides nulla, omnibus Parthis propter indiscretos cibos & uinum immodice sumptum ora fœtent. Vrbes insignes sunt Alexandrinopolis, Arsacia iuxta Nisæos campos, & regionis caput Hecatompylos. Arsaces uir factis q̃ natalibus memorabilior gentis imperium inuasit atq; auxit, cuius memoriæ hunc honorem Parthi habuere, ut deinceps omnes reges suos Arsaces siue Arsacidas appellarent.

HIRCANIA.

HIrcania ab occasu Medos, à septentrione pelagus cui nomen dedit, ab ortu Margianos, à meridie Parthos attingit, Tigrim tremendæ pernicitatis feram gignit, nihil adeo antecedit quod non assequitur, id quod cernitur cum catulorum raptorem insequitur, præcipua regionis urbs Hircania. Amnes, Maxera & Sibaris. Mons, Coronus.

CARMANIA DESERTA.

CArmania deserta à limite orientis Aria, ab occasu Persi de, à sept. Parchoatra mõte, & Parthia definit, à merid. Carmaniã alterã spectat, Carmanis in cõsuetudine est amicitiæ uinculũ firmare, mutuo sanguinis quẽ ex uena faciei emittũt gustu. Onesicritus tradit in Carmania esse flumẽ Hytanim, in q̃ auri strigiles inueniũtur, abundat præterea hæc regio

gio Rubrica, Minio, Alabastrite lapide laudatissimo, quē in uasa unguētaria cauāt, mōtes item in ea duo, alter Arsenici, alter Salis, Vites Carmaniæ bicubitales racemos ferunt.

CARMANIA ALTERA.

CArmania altera à solis ortu Gedrosia, ab occasu Persia & sinu Persico, à septentrione Carmania deserta, à meridie mari Indico excipitur, Magolista hac tempestate dicitur, Arcinum urbs & mertium Indicarum emporium.

ARIA, PAROPAMISSVS, ARACHOsis, Ariana, Drangiana, Gedrosis.

ARia à septen. Margianā & Bactra, à cardine occiduo Parthos & Carmanos, ab austro Drangianā, Ab ortu Paropamisadas habet, Vrbes Artacana, Alexādria, Achaia, à conditoribus dictæ, regio optimi uini ferax, Ariā sequitur Paropamissis cui nomē à Paropamisso monte quē à sept. habet. Vrbes, Cartana & Alexandria. Amnes, Ochus qui in mare Caspiū se exonerat, & Choes in Indum exiēs. Deinde Arachosia, cui ab occasu Drāgiana occurrit, ab Aqlone Paropamissus, ab ortu India, à merid. Gedrosia. Vrbes, Arachosia, & eiusdē appellatiōis flumē. Alexandria octo em̄ urbes in his locis Alexāder ille Macedo cōdidit. Ariana regio in occasum uergit, ambusta feruoribus, quæ uicis q̄ urbibus frequētius habitat̄, Amnis in ea Arius, urbs Alexādria. Drangiana Ariæ cōtinua est interueniēte Bagoo mōte à septen. Mōs Boetiꝰ australe latus terminat, ab ortu iungit̄ Arachosiæ, Carmaniæ desertæ ab occasu, Arabs fluuius eam rigat, gemmis abūdat. Gedrosis terminat̄ ab occasu Carmania altera, ab ortu India, à septen, monte Boetio, mare Indico à meridie,

meridie, minus quàm India exusta; quàm reliqua Asia magis, aquarum inops, fert aromata nardum & myrrham, arborem lauro non absimilem, cuius folia si iumenta gustauerint, subinde tanquam crapula capitis errore lapsant, mox emissa spuma more eorum qui comitiali morbo correpti moriuntur, fluuius in ea Arbis et eodem uocabulo urbs. Parsis metropolis hodie fortassis Guzerat dicta. Plinius omnes has regiones Satrapias nominat.

MARGIANA.

MArgiana ad sinum Caspium sita, ab occa. habet Hyrcaniam, à septen. Scythiam intra Imaum montem, à meri. Ariam, ab ortu Ochum amnem quo merces Indicæ multæ in Hyrcanum mare deuehuntur, regio uitifera, undiq; montibus cincta, aditu difficilis propter arenosas solitudines, in ea Alexander urbem Alexandriam condidit, qua diruta à Barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco Seleuciam restituit. Margus amnis unde regioni nomen eã rigat, populi in ea Parni, Tapuri & Massagetæ gens magna & robusta, arbor apud eos quædam, cuius fructus igni quem circumsident iniectus ex nidore suo sic ebrios reddit ut uinum cæteros. Massagetarũ concubitus instar pecorum in propatulo, solem pro Deo adorant, senio confecti frustillatim conciduntur, & carne ouilla mista eduntur, quod genus obitus apud eos beatissimum habetur, eos qui languore aliquo perire feris dilaniandos abijciunt.

BACTRIANA.

BActriana limitem ab occidente habet Margianam siue Ochum fluuium, ab ortu Oxum, cuius fontes in Oxia lacu

lacu, â meri. Ariam & Paropamissum, â septen. Sogdianam Oxo fluuio ab ea diuisam. Bactra urbs eademq; Metropolis ad Bactrum fluuium qui & urbi & regioni nomen dedit, sita sunt, prius Zariaspe dicta, præterea urbs Adrapsa. Amnes, Ochus & Oxus qui ex montibus qui iuxta sunt salis ramenta deferunt. Traditur in Bactris grana tritici tantæ magnitudinis nasci, ut singula spicas nostras æquent, frumenta Syris apud Bactrianos quemadmodum hodie in Austria seruantur.

SOGDIANA.

SOgdiani qui & Sogdij, tũ ab occasu, tum â sep. Scythia quæ est intra Imaum montem finiuntur, ab ortu Sacis, â meridie Bactriana, regio propter arenarum altitudinem multis in locis inculta. Alexandriæ in ea duæ suis cognomentis distinctæ, nam altera Oxiana, altera quòd in ultimis finibus eorum est ultima dicitur, aræ ibi sunt ab Hercule & Libero patre constitutæ, fluuius Iaxartes quem Scythæ Syrin uocant ortus in extremis Sogdiorum finibus, primum in septentrionem, tandem auersus in occasum mari Caspio infunditur.

SACARVM REGIO.

SAcæ quos Dahas quidam appellauere, ab ortu Sogdios, â septen. Scythas intra Imaum, ab ortu Scythas extra Imaum, â meridie Indiam habent, regio pascionibus quàm frumentis utilior. Comari & Essedones regionem incolunt, tum etiam Comedi & Massagetæ alij.

INDIA.

INdia ab Indo flumine dicta, diues regio non modo auro, sed gemmis margaritisq; ad luxum usq; exculta, mediam hanc perlabitur Ganges fluuius, & proinde intra Gangem, & extra Gangem India dicitur, ea quæ est cis Gangem ab occasu finem habet Indum, ab ortu Gangem, à septẽtrione montem Imaum, à meridie sinum magnum & mare suum, plæriq; hanc ab occidente non Indo amne determinant, sed adijciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamissadas. Ea quæ est extra Gangem ab exortu excipitur regione Sinarũ, ab occasu Gange, à septentrione Scythiam & Seres habet, à meridie pelagus Indicum, maiorem hanc hodie uocamus, nõ perinde exculta atq; illa altera, Onesicritus Indiam tertiam terrarum omniũ partem esse tradidit, uario genere hominũ aliorumq; animaliũ abundat, & ijs quidẽ omnibus q; terris alijs procerioribus grandioribusq;. Multi in India populi qui humanæ magnitudinis modũ excedunt, sunt qui octonos digitos singulis pedibus habent, & plantas aduersas, sunt etiã quibus singulis singula crura ad saltum uiuacissimæ pernicitatis; hi humi iacentes resupini umbra pedum se à solis feruoribus defendunt, Monomeros si ue Sciopodas uocant, reperiuntur quibus canina capita & pro uoce latratus est, alij canescunt iuuenes, senes nigrescũt, Astromorũ gens ad fontes Gangis toto corpore hirta nullo cibo uescitur, sed florum & fructuũ spiritu hausto uictitant, quo etiam si grauior fuerit exanimantur, Ocypodes cursu equos præuertunt, Enoceti aures ad talos usq; demissas habent, ut his etiam indormiant, pars nudi agunt, pars pudenda tantum flexibilibus libris uelati, Satyri perniciissima animalia in Indorum montibus, humana effigie quos propter pedum pernicitatẽ nemo nisi senes aut ægros capere potest, in mõtibus Prasiorũ Pygmæi esse tradũtur ternas spithamas nõ excedentes, qui arietũ caprarumq; dorsis insidentes tpe

ueris

ueris armati cõtra grues bellũ ineunt, oua pullosq; earũ alitum proterũt, alioq; à gruibus incõmoda passuri. Indorũ philosophi & quibus studiũ sapiẽtiæ cõtingit, alij Gymnosophistæ, alij Brachmanes, alij Germanes uocãtur, q̃bus sol, labor, puluis in studio est potius q̃ uoluptas, nec unq̃ ꝓ opinione uulgi res aduersas extimescũt, nullo mortis metus, quidã nullũ animal occidere, carne uesci nulla optimũ putant, quosdã tantũ pisces alũt, Græcis ἰχθυοφάγοι dicti, sunt q̃ parentes prius q̃ annis aut morbo in maciẽ abeũt uelut hostias cædũt, cæsorũq; uiscera epulari fas & maxime piũ habeẽt. Alia Indici cœli facies, alij syderũ ortus, binæ messes, binæ æstates, tantæ ꝓceritatis arbores ut sagittæ prius redeãt q̃ ad summũ arboris cacumẽ pueniant, tãtæ magnitudinis ut umbra earũ adq̃ sugera extendat, & dena hoĩm milia sub una aliq̃ earũ sese ab æstu solis defendere possint, in arundinibus mel gumi modo candidũ gignit q̃d saccarũ appellãt: feræ in India multæ & admirãdæ, Elephanti Afris maiores, q̃bus tãta talisq; naris ut manuũ uice ea utant, Proboscis dicitur, ijs arant, ijs inuehũt, dimicãt, militant, sus nec ferus nec placidus apud Indos, Leucocuta fera magnitudine asini cruribus ceruinis, collo, cauda, pectore leonis, capite camelino, bisulca ungula, ore ad aures usq; rescisso q̃ humanas uoces effingit, uelocitate reliqs præstat, Eale cornua habet mobilia, quorũ alterũ in pugna ꝓtendit, cuius acies si obtundit acies succedit alterius, Manticora triplici dentiũ ordine, sunt boues unicornes solidis ungulis nec bifidis, Monoceros in cuius frõte cornu eminet unũ, ita acutũ ut q̃quid impetat facili ictu eius ꝓforet, alit formicas cornutas magnitudine maximoq; canũ, q̃ more gryphorũ in Scythia aurum effossum pertinacissime custodiunt, serpẽtes tam magnos ut solidos tauros deglutiãt, uini usus omnibus Indis largissimus, omnibus ungues nũq̃ recisi ꝓminent, cæsaries promissa omnibus, cultus præcipuus in

gemmis. Prasij omnibus Indiæ populis & potentia & claritate præstant, quorum urbs Palibotra, tenent autem eam oram quæ est ab Indo ad Gangem, ubi decurrit amnis Iomanes, cum apud alios mortales fœminæ ab officijs ciuilibus & publicis remoueantur, Pandæa gens sola apud Indos regnatur fœminis. Regi Indorum cum in publico conspicitur thuribula præportantur, totumq; iter per quod fertur odoribus completur, aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat, urbium clarissima & maxima Nysa inter Cophenum & Indum amnes sita, sub radicibus montis quē Meron incolæ uocant. Famam hinc præcipuam habent, q; in hac Bachus genitus, in illius specu nutritus esse putatur, Taxila Nicæa & Bucephalia. Amnes, Indus & Ganges. Indus quem indigenæ Sandum uocāt, ex iugo Caucasi montis q̄d & Paropamisſus dicitur effusus, Canticolpo ad quē Calicutum est infunditur. Ganges in monte Hemode conceptus per scopulosa & abrupta decurrens fit omnium toto orbe maximus, patet autem Ganges ubi minimum octo milium passuum, in multis locis in modum stagni diffunditur, ut trans alteram ripam nihil oculis discerni possit, à Gange uersa ad meridiem plaga tinguntur sole populi, non tamen Aethyopum modo exusti. Sunt & alij non incelebres, Hydaspes, Cantabra, Acesinus, Hypanis, qui Prasianen & Patalen insulas efficit, omnes in Indum sese exonerāt, Canucha, Vama, Cosoagus, Sonus Gangem influunt. Maleus mons in quo umbræ ad septentrionem cadunt hyeme, æstate in austrum per senos menses. Indiæ extra Gangem adhæret Chersonæsus aurea ob metallum auri sic dicta. Vrbes, Chrigapola & Sian, Reubarbarum in ea nascitur, hac tempestate Malacha nominatur.

SINARVM REGIO.

Sinarum

SInarum regio quam hoc tempore Chinam nominãt, à Septent. Seribus terminatur, ab ortu & meridie terra incognita, ab occasu India trãs Gangem & sino magno qui mare de Sur id temporis nuncupatur, in ea regnũ Balba, & desertum Belor, in ultimis eius finibus Cattigara oppidum.

SCYTHIA.

A Diuersa parte in Aquilonem Scythia iacet, aspera cœlo, cultu & aspectu tristis, plurimæ in ea gentes, ac prope infinita interiacentis soli uastitas, plæraq; loca ob sæuitiã indigenarũ inculta, iusticiã sua sponte nullis legibus colunt, omniũ artium bellicis exceptis ignari, quibus licet innutriti semperq; inuicti fuerint, pacem tamen amant, & ut bella nõ timent, ita nec prouocãt, tolerãtia ubi laborandi tempus est & robore corporis cæteris mortalibus præstant, nemo ferè unq; quamlibet potẽs Scythas bello impune tentauit, Imao monte in eam quæ extra Imaum & intra Imaum diuiditur, & quæ extra Imaum est, ab occasu iungitur Imao, ab orta terræ Ptolomæo incognitæ, à septent. hoc tempe habet Tartariam Mongalem, à plaga australi montem Imaum & Indiam extra Gangem, in ea Seres populi, mite genus hominum ab armis & aliorum mortalium cœtu abhorrens, commertia cum peregrinis rebus in solitudine relictis, absentes summa fide peragunt, apud quos ex arboribus lana quam sericum uocamus frondibus prius aqua perfusis depectitur, sunt & Essedones, Hippophagi corporibus equorum uescentes. Abij Scythæ, hoc est nullius patrimonij possessores, & quos ab incursione hostili liberos sola paupertas facit. Vrbes, Auratia & Sera, ultra Seras quid nam esset am biguũ aliquandiu fuit, sed ex recentioribus didicimus, ultra Sericam regionem Chinchitalem esse, regionem Balor,

Tangu, Cathay, Chayram, Tholoniam, Tebeth, Cyambam, & alia quædam loca ori Romano uix effabilia. Scythia intra Imaum hodie Tartaria hoſce limites habet, ab oc caſu Rha fluuium qui nunc Volga eſt, huius amnis fontes oriuntur in Moſchouia, eumq; aliquandiu in Boream labitur, tandem ſenſim in ortum flexus, ac poſtea in meridiẽ auerſus per plana Tartarorum loca ſe diffundit, & mare Caſpium quod noſtro ſæculo mare Debachan uocant, uiginti quinq; magnis hoſtijs ingrediẽ, à limite orientis Imao monte excipitur, à ſeptentrione terram incognitam Ptolomæo habet, uerũ noſtro tempore notos habemus Saomedos & Paratas populos, à parte meridiana, Sacas, Sogdianos, Bactrianos qui & ipſi inter Scythas habenẽ, & mare Caſpiũ à Caſpijs montibus ſic dictũ, innumeras gentes indiſcretis limitibus complectitur, qui à mari Caſpio incipiunt magna ex parte Dahæ appellantur, qui orientales Maſſagetæ & Sacæ, alij communiter Schytæ, generatim Nomades, quod pecuarij ſunt & uagi, domos ſuas, uxores & liberos in plauſtris circumferunt, qua nox deprehendit ſedes habẽt, tradunt ſcriptores in hac cœli plaga & quadam montis Imai conualle eſſe homines qui auerſas poſt crura plantas & non ut cæterorum proſpectantes habeant. Hunni quorum ſedes olim ad Oceanum Cronium & mare Caſpium erant, relicto ſolo patrio primum ad Mœotim conſedere, deinde Pannoniam eiectis habitatoribus inuaſerunt, quorũ genus Vngari ſunt, gens bello nata, Hi enim olim Toxone patre & Geyca filio ducibus eò audaciæ proceſſerũt, ut Germaniæ, Galliæ, & Italiæ bellum inferrẽt, uſqueadeo prona & cedentia illorum furori erant omnia, ut neq; Germaniam, neq; Galliam, immenſa flumina & præcipites montes defenderent, neq; Italiam interfuſa maria. Hoc loco ſuccurit illud admonere, Scythiæ uocabulo non ſolum eas quas Imao monte diuiſas

diximus

diximus contineri, sed etiam magnam Sarmatiæ Europæ partem, quam Scythiam Europæam uocant, & ea ab Istro ad Borysthenem, inde ad Mœotim paludem, secundumq; Tanais ripam ad eiusdem fontes patet. Populi in ea Satarchæ, fluuius Tyras hodie Nester, Axiacas populos ab Histricis separat, Borysthenes quem Neper Barbari uocant, Borysthenidas gentē penè sibi cognominem abluit, Thauroscythæ ex rapto uiuunt, iuxta illos Taphræ & Heraclæa oppida, Sinus Carcinites, in quo urbs Carcine, & fluuius Carcinitus. Hylæa regio per quam Hypanis decurrit, is cū à fontibus diu dulcissimus profluit, Exampei fontis aqua redditur amarissimus, Nomades & Georgos Panticapes interfluit, sunt & Agathyrsi qui inter se Germani creduntur, quippe quibus uxores communes sunt, & Neuri ueneficijs infames, singuli quotannis ad aliquot dies lupi fiunt, iterumq; ubi collibitū est in homines redeunt, Melanchleni à nigro uestitu quo semper amicimur dicti, Budini, Geloni hostes excoriant, corio se equosq; suos uelant, Essedones parentum funera læti celebrant, capita eorum auro exornant, & in his annuos honores libant.

SARMATIA QVAE IN Asia est.

SArmatia quæ in Asia est Tanai & Rha fluminib9, Caucaso & Hyperboreis mōtibus claudit, Scythiæ inserta, q eā habitāt in uniuersum Scythæ Sauromatæ dicunt, nūc Tartari, Mōtes in ea Hyperborei, & eiusdem nominis populus humanæ uitæ modū excedētes, diutius enim & beatius q̄ ulli mortalium uiuūt, ubi florētes ætatis annos transmisere, & iā uitæ satietas eos tenet, uolētes & alacres ex p̄rupto aliquo scopulo in subiectū pelag9 se p̄cipitāt, iuxta sunt Arimaspi

ex

ex habitu & forma corporis nomen habentes, nam arima Scythis oculũ & ſpu unum notat, unus enim illis oculus in frontis medio, qui cum gryphibus animantibus quotidie depugnant de auro. Arimphæi Hyperboreis non diſſimiles, quibus ſedes nemora, alimentum baccæ, capillus iuxta fœminis uiriſq; in probro, phthirophagi ideſt pediculis ueſcẽtes. Iaxamatæ, Turcæ unde oriundi, qui iam eò inſolentiæ & furoris ignauia noſtra proceſſerunt, ut orbis terrarum imperium eos ſolicitet. Gens Amazonum quas Sauromatidas uocant, aliæ enim Themiſcyræ campos circa Thermodoonta amnem olim incolebant, remp. ſuam, ſine uiris tuentur, uirgines earum non otio nequè lanificio ſed armis, equis, uenationibus exercentur, nulla ex his uiro concumbit priuſquàm hoſtem trucidauerit, à finibus ſuis non ſolum hoſtem ſubmouent, ſed etiam finitimis bella inferunt, mammã dexteram adurunt ut arcus facilius intendãt & tela uibrent, unde Amazones dictæ ſunt, alteram intactam ſeruant, qua muliebris ſexus liberos alunt: indigenæ ἱππόβοτοι ideſt ex equis ſagittarij omnes, pellificium hoc tempore illis magnæ curæ eſt & ferè annona. Ad hoſtia Rha fluminis urbs eſt Cytracham, Medorum, Armeniorum, Perſarum & Tartarorũ maximum emporium, flumen Rha apud quem naſcitur radix quæ Rhabarbarum dicitur medicamento nobilis, nec alia nominis eius quam à natali ſolo ratio eſt, ſunt & alia Lagous & Antacites in quo & antacæi piſces, Viennæ Pannoniæ Huſones dicti, uix ex alio piſce tam numeroſa ganeæ materia.

DE ALBANIA, IBERIA, & Colchide.

ALbaniam & Colchidem hinc & inde Pontus & mare Caſpium

Caſpium attingunt, à latere aquilonari Caucaſo qua obliquatur ad montes Ripheos & Sarmatia quæ in Aſia eſt terminatur, à meridie Moſchicis montibus, à Ponto Euxino ad mare Hyrcanum abeuntibus ſiue Armenia. Albani Iaſonis argonautæ ſobolem ſeſe ictitant, Nomades ſunt & ad omnem humanioris uitæ cultum inertes & rudes, monimentis ueterum traditur in Albania homines adhuc pueros caneſcere & plus cernere oculis per noctem quàm inter diem, canes apud hos ita generoſi ut tauros & leones perimant. Vrbes Albaniæ, Togada & Moſega. Flumina, Saona, Gerrus alius ab eo qui eſt in Scythia Europæa, Albanus qui regioni nomen indidit, Cyrus. Colchis torrentes habet qui auri ramenta deferunt, quæ Barbari perforatis tabulis ac lanatis pellibus excipiunt, unde aurei uelleris fabula nata eſt, inſuper lini, canabis, cæræ & picis abundans, mel in hac regione plerumq; amarum. Vrbes, Dioſcurias & Sebaſtopolis, Cimerium unde Boſphoro nomen eſt, Heniochi populi. Amnes, Phaſis & eodem uocabulo urbs quã Phaſis circumfluit Colchorum emporium, Glaucus, Hippus & Cyanos. Moſchi quoq; inter Colchos numerantur ab ijs iuxta Moſchici montes dicti ſunt: Colchis & Albanis interiecta eſt Iberia, cuius incolas hodie Georgianos uocãt, q; diui Georgij (Chriſtiani enim ſunt) uexillum in acie contra Chriſtiani nominis hoſtes gerunt, regio & urbibus & habitatoribus ſatis exculta, Vrbes, Lubium & Zaliſſa. In his locis pilæ Sarmaticæ & Albaniæ.

ARMENIA MAIOR.

ARmenia maior ab occaſu Euphratem habet, & ea Tauri iuga quæ quibuſdam Pariedri, quibuſdã Moſchici montes uocantur, ab ortu mare Caſpium & eos mõtes

unde huic mari nomen est, Albania, Iberia, Colchis à plaga boreali eam finiunt, Niphates mons à meridie, Sophene regio Armeniæ pars. Vrbes primi nominis sunt, Artaxata regionis caput, Tigranocerta, Arsamosata, Nicopolis. Montes quos memorare non piget, Antitaurus, Periardes qui & Abus & Gorduus & Gordyæus. Amnes, Euphrates & Araxes ambo ex Periarde monte effusi, uerum hic in ortum, ille in occasum meat, sunt & Cyrus & Tygris, & alij non incelebres, sed nobis omnia complecti nec animus est, nec est necesse.

ASIA MINOR.

NVnc eo uocor ut frontem illam qua parte Asia angustissima est, & ueluti Isthmus quidam ab Euphrate fluuio inter duo maria ad Bosporum Tracium, Propontidem, Hellespõtum & fluctus Aegæos patet describam. Asiam minorem uocant, & in qua rursus est ea Asia quæ proprie minor dicitur. Chersonesum hanc trifariam partimur, prima eius portio est totus ille tractus, qui ab Amano monte & sinu Issico intra Tauri iuga ad cõfinia Cariæ usq; porrigitur, cuius partes Cilicia, Isauria, Pamphylia, Lycia. Altera quã totius continentis nomine Asiam minorem & proprie Asiam appellant, quam à septentrione Bithynia & ea linea quæ à Rhindaci fluminis hostio ad montem Dindymum ducitur finiunt, ab austro Pamphylia, Lycia & mari Rhodio, abortu Galatia & Lycaonia, à sole occiduo toto Aegæi maris excursu, quod eo loci Icarij & Myrtoi nomẽ pariter habet, huius membra, Caria, Ionia, Aeolis, Troas, Lydia, utraq; Phrygia, utraq; Mysia, tertium Chersonesi membrum ab hostio Rhindaci secundam expositam lineam incipit, ad

Trape

Trapezunta urbem & Euphratem in ortum tendit, in meridiem uero ultra Antitaurum ad Amanum & Tauri iuga immittitur, partes sunt Pontus siue Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia, Lycaonia, Galatia, Armenia minor, Pisidia, nonnihil loci & temporis nunc nobis datam iri uidetur plenius de his omnibus Chersonesi partibus quas recensuimus loqui.

CILICIA.

CIlicia ab ea parte qua solem orientem intuetur Amano monte & Pylis Amanicis finitur, à septentrione Tauri uerticibus, Armenia minore & Lycaonia, ab occasu Pamphylia, à parte meridiana sinu Issico, φαχεῖα, id est aspera dicitur qua propinquat Pamphyliæ, quòd asperos & præruptos montes Eolon habet, reliqua campestris est & plana, gentem Cilicum mendacijs & furtis infamem esse uel Græcum prouerbium notauit, κίλιξ ὁ ῥᾳδίως ἀληθεύει, id est, Cilix haud facile uerum dicit, Vrbes Ciliciæ multæ sed præcipuæ, Issus unde Issico sinui nomen, Rhosos, Mallos quam Pyramus præterfluit, Mopsos, & urbium mater Tarsos Pauli doctoris gentium patria, quam Sardanapalus ultimus Assyriorum rex uno die ædificauit, huius mœnia Cydnus inclytus amnis intermeat, uere tumet cum niues soluuntur, reliqua anni parte tenuis est & placidus, nam torrentes eum non incurrunt qui placide manantem alueum turbarent, aqua eius si pedes in ea macerantur podagram leuat, Seleucia ad amnem Calcadnum, soli nunc antiquato nomine Pompeiopolis Arati Astronomi patria, Coricus mōs & eodē nomine portus & specus ubi crocum generosissimum prouenit, quod tamen paucis retro annis

cum Turci illud in Vngariã portarent primũ, deinde noſtri mercatores Viennam Pannoniæ infra Auſtriaci croci laudes iacere cognouimus, ſpirat enim Auſtriacum fragrãtius, & eſt coloratius, & manum fricantis citius inficit, niſi Corytium quod nos uidimus ætate bonitatem amiſerat. Promõtoria duo Sarpedon & Anemurium, huius lateri annexa Iſauria eſt & regiuncula & eodem nomine urbs, uicina Lycaonibus: itinera ferè omnia huius regionis obſeſſa ſunt latrocinijs, & ipſa regiuncula latronum receptaculum, qualis hodie Franconia eſt Germaniæ, quæ ſuos ſemper prædones habet, quo enim alio nomine eos appellauerim neſcio, atro citatem rei leni uocabulo mitigant, Snaphanos gentiliter ſe uocari patiuntur.

PAMPHYLIA.

PAmphylia tota Tauro ſepta, ab ortu Anemurium promontorium & Melam fluuium habet, à parte aquilonari Gallograciam & Capadociam, ab occaſu Lyciam, à meridie mare ſuum. Vrbes, Attalia, Sida, Perga, delubro Dianæ celebris, Aſpendus, Lyrneſſus ad Cataractem fluuium, & ultima eius oræ Phaſelis. Amnes, Eurymedon, Oeſtrus, Cataractes.

LYCIA.

LYciam Taurus mons Pamphyliæ adimit ab ortu, ab occaſu Cariæ pariter, nam Taurus in his locis Maſſycites, Cragus, Anticragus, Cadmus & Phœnix uocatur, à ſepten. Aſia proprie dicta terminatur, à meridie mari Lytio. Vrbes habet, Olympum, Myram, Pinaram, Pataram fano Apollinis inclytam, Telmeſſum. Flumina, Lymirã, qui

qui è Massycote monte effunditur, Xantum qui è Crago. Mons Chimera in ea est, nocturnis ignibus flagrans ut Aetna in Sicilia.

CARIA.

CAria quæ & Doris olim fuit, ordítur eam Asiam quæ propríe mínor dicítur, cui ab ortu Lycía est & Telmessus ciuitas, à parte austrina mare Rhodium, ab occidẽte pariter, à borea Phrygia, Lydía, Ionía, uel Mæander fluuius, hanc antiquitus Pelasgi & Leleges erraticæ gentes habuerunt. Vrbes, Halicarnassus, & iuxta Salmacis fons qui morbo uenereo implicat eos qui ex eo biberint, Halicarnassum etiam illustrat Mausoleum Mausoli regis Cariæ sepulchrum inter septem mundi miracula numeratum, Gnidus, Loryma, Ceramus, Caunus, Níndus, Alabanda, Stratonica, Troezene, in mediterraneis Nysa, & Trallis ad Thebaim fluuium, Colossæ epistola Pauli celebriores factæ, Laodicæa ad Lycũ amnem, Hierapolis, Antíochia ad Mæandrũ quã Massicus fluuius ambit, Iassus unde sinui Iassio nomen ad quem Bargylos urbs.

IONIA.

IOniam ab ortu Lydia excipit quæ & Mœonia est, ab occasu Aegeũ mare, à sept. Aeolis, meridiẽ finit Caria. Miletus urbs Ioniæ clarissima, quæ nobis genuit uiros maxime insignes, Thaletem unũ ex septem sapientibus physiologiæ & Mathematices autorem, Anaxímandrũ Thaletis discípulum, Anaxímenem, Hecatæũ, Tímothæum musícum, Posídium promõtorium, & oppídum Branchidarum oraculum appellatum, nunc Dídymaonis Appollínis, Príene Biantis

patria, Latmus mõs quẽ Lamiũ alij uocãt, Homerus pedicu lorũ montẽ, iuxta Endymionis sepulchrũ, mõs Mycale post Meandri hostia, Magnesia ad Meandrũ, Magnesiæ Thessa licæ colonia, Trogiliũ promõtoriũ, Ephesus templo Dianæ memorabilis q̃d Amazones cõsecrasse dicuntur, alluit Cai stro fluuio, Colophon iuxta Halesum amnem, Erithrææ, cla rus ubi Apollo clarij colit, Clazomene Anaxagoræ patria, Smyrna, Phocæa terminus Ioniæ. Flumina, Mæander ex ar ce summa Celænarũ ortus media urbe decurrẽs p Caras pri mũ, deinde Ionas in sinũ maris illabit, qui est inter Prienen & Miletum, ita crebris sinuosus flexibus, ut sæpe in fontes suos reuerti uideatur, Hermus, Caistrus, Halesus.

AEOLIS TROAS.

AEolis proxima est quõdam Mysia appellata, initium eius à Phocæa aut Hermo amne sumitur, terminatur promontorio Lecto, ab ortu cõtinua Lydiæ, ab occasu mari Aegæo, à sept. Troadem & Phrygiã habet, à meri. Hermum fluuiũ. Vrbes Elæa, Pitana, Myrrhine, q̃ eadẽ Sebastiopo lis, Aegæ, Cumæ, Larissa, Nouus murus, Tenus, Cilla, Palæ scepsis, regio Scepsis, Adramyttiũ, Antandros, Assos, intus mons Gargara & eodẽ uocabulo oppidũ, Lecton promõto rium disterminãs Aeoliã à Troade regiuncula, quæ attingit Hellespontũ à Troade oppido q̃d & Alexandria dicta, ibi Rhœteũ & Sigæũ promontoria, mons Ida & iuxta Iliũ urbs decẽ quondã annos oppugnata ob unam mulierẽ ab uniuer sa Græcia, nihilq̃ ab ulla parte aut curæ aut laboris remis sum, haud procul inde supra Aeolida & partẽ Troadis est q̃ uocat Theutrania, ubi Thymbræ oppidũ, & Pergamus, quã interfluit Silenus, præfluit Cecius, Aeoliæ flumina Caicus qui in Theutrania oritur, & Euenum, Troadis, Simois cui Xantus

Xantus iungitur Granicus, Scamander in Helleſpontum maiori quàm pro re fama exeunt omnes.

LYDIA SIVE MOEONIA.

Lydia ab auſtro perfunditur Mæandro, à ſept. eſt Myſia, ab ortu Phrygia maior, ab occaſu Ionia & Aeolis, Sardeis Lydiæ caput ad Caiſtrum amnem & Tmolum montẽ ſitæ, Philadelpia, Sypilum quod terræ motu abſorptum eſt. Pactolus fluuius in quo olim ramenta auri inueniebantur, ex Tmolo effunditur. Lydij filias ſuas olim proſtituebant, ut hoc quæſtu dotem ſibi inuenirent, uerum id temporis à patrio more hæc labauerunt, Lydi omnium primi nummum argenteum & aureum percuſſerunt, caupones & inſtitores fuerunt, aleam & teſſerarum & pilæ ludum inuenerunt.

PHRYGIA ET MYSIA.

PRomiſcue de Phrygijs & Myſijs dicendum eſt, ſunt enim in his locis limites ita confuſi, ut nihil perpetuũ de illis p̃cipi poſſit, uticp in tãta ſcriptorũ diſſenſiõe, Phrygios à Phryxo fratre Helles immutatiõe literarũ quaſi Phryxios dictos eſſe putãt, q̃ is illuc primũ delatus ab ariete fuerit, duplex ea eſt, maior ad Sangariũ amnẽ, Minor q̃ & Epicletus dicit ad Helleſpõtũ. Vrbes, Ancora, Synnada, Celenæ, q̃ poſtea Apamea dicta cognominis huic q̃ eſt in Bithynia, Cybira, Iconiũ. Myſia piter duplex, maior ad ſinũ Adramiticũ ubi Scepſis regio, Minor q̃ in Propontidẽ inclinat. Vrbes habet Cyzicũ, Pariũ, Lampſacũ Anaximenis Alexãdri Magni præceptoris patriã, Priapus hortorũ Deus Lampſacenus fuit, ob magnitudinẽ genitaliũ patria electa, Abydus, Lãpſaco

in

in Europa opponitur Callipolis, Abydo Sestus, Pessinus ubi Cybele magna Deorum mater colebatur, & ideo poetis Pessinuntia dicta. Montes Asiæ magis insignes sunt Tmolus, Celenus, Ida, Gargarus, Dindymis & in finibus Bithyniæ ac Mysiæ Olympus, qui & Mysus, plures montes Olympi nomine apud geographos celebrantur, & Græcis altissimus quisq; mons cuiuslibet regionis Olympus dicitur. Chamæleon quadrupes specie & magnitudine lacerti, frequens est per omnẽ hanc Asiam, uis eius maxima contra accipitrem, humi enim reptans eum superuolantem detrahit & cadere in terram sua ui adigit, cæterisq; auibus lanian dum & uexandum obijcit.

BITHYNIA ET PONTVS.

Bithyniæ ac Ponti, nam de ijs iunctim dicemus, termini sunt à limite occiduo Bosporus Tracius & Propontidis pars, à septen. Pontus Euxinus, ab ortu Paphlagonia & Galatia, ab austro ea linea quæ ab hostio Rhindaci fluminis ad montem Dindymum protenditur, siue Asia quæ proprie minor dicitur. Vrbes insigniores, Apamæa prius Myrlea dicta, Prusa ad Olympum quam Hannibal exul condidit, Nicæa in campo admodum fœlici sita ad lacum Ascanium quæ & Ancora & Antigonea. plures Nicæas in pluribus locis esse scimus, & in Tracia & Gallia. Posidium promontorium, Nicomedia Calpe fluuio adiacens, Astacus, Olbia, Chalcedon hodie Galata. Artemidis sacrum Bithyniæ terminus. Prusias ad sinum Astacenum, Heraclæa, iuxta specus est Acherusia ad manes usq; patens, intus Claudiopolis. Flumina, Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam fluens admiscetur ad Bithyniam Tymbri fluuio, inde maior geminatis iam aquis per Bithyniã fertur, & in

Propontidem

Propontidem sese effundit, nõ tam â magnitudine quâm ꝙ piscium accolis ingentem uim præbet, Rhindacus Bithuniam & Asiam disterminans.

PAPHLAGONA.

PAphlagonia ab oriente Halym fluuium habet, is exortus in monte Armeno boream uersus tendens, Syros, Cappadoces â dextera, â sinistra Paphlagones perstringẽs in Pontum effunditur, â cardine occiduo Partheniũ amnem, inter quem & Tium urbem olim Caucones habitarũt. Vrbium clarissimæ sunt, Tios, Cromna ubi olim Heneti populi, Sesamus quæ nunc Amastris, Cytorus urbs & eiusdẽ appellationis mons qui iuxta est, multa buxo uestitus, Cymolis, Carambis promontorium, aduersum huic quod in Taurica regione κριὸς μέτωπον. i. arietis frontẽ appellãt, haud procul inde Chalybes quos Ponticos uocant, nam in Hispania quoq; eiusdem nominis populi sunt & idem uitæ genus uiuentes, hos uero Homerus in catalogo ἀλιζωνας appellat, in ferrarijs & argentarijs metallis omnis eorum possessio, omnis eorum cura, labor, diligentia in ijs laborandis ponit. Vrbes, Synope unde rubrica Synopensis. Amysus quam Athenienses cum mari imperitarent condiderunt. In Paphlagonia fons uinum redolens, ex quo si quis biberit temulentus efficitur, huic diuersam naturam habet ea aqua q̃ in Archadia è spelunca quadam manans abstemios reddit.

GALATIA.

GAlatiam quam Galli & Græci misti incolunt cõposito uocabulo Gallogræciam uocant, Galli enim extorres inopia agrorum duce Brenno illo qui uirtutem in superbia,

audaciam in contemptu deorũ hominumq; ponebat, asperrimam Illyrici oram, Pæoniam, inde & Thraciam pugnando cum ferocissimis gentibus quarum tamen nulla par armis Gallicis emensi, tantum terroris omnibus gentibus iniecerunt, ut Byzantium & oram Propontidis uectigalem haberent, cupido inde eos in Asiam transeundi cepit cum tantam Asiatici soli ubertatem audirent, fraude capta Lysimachia, & tota Chersoneso, Thracia armis oppressa traiecerũt primũ in Bithyniã, deinde eã terrã ceperũt quæ etiamnũ Gallogræcia dicitur, uerũ iã degeneres haud quaq; ij sunt q patres eorũ auiq; fuerũt, sicut plãtæ in suo quæq; solo generosi ores sunt, insitæ alieno degenerãt, trib9 nominibus distincti, nã quidã ex ijs Tolistobogij, quidã Throcini, quidã Tectosagi uocabant, huic à sept. prætẽditur Paphlagonia, à solis ortu Cappadocia, à limite meridiano Pamphylia & Pisidia, ab occasu continuatur Bithyniæ, Mysiæ & Phrygiæ agros maiori ex parte tenet. Vrbes, Archelais ad Halym fluuiũ, Ancyra Tectosagorũ, Gordium olim gẽtis caput. Laodicæa cognomento cõbusta Ptolomæo. Amnes, Parthenius, Sangarius, Halys, & Gallus, unde sacerdotes deæ Cybeles nomẽ traxerunt. Montes, Dindymus & Celenorum iuga.

PISIDIA.

PIsidæ longe optimi bello regionis eius, summa Tauri montis insident, quondam Solymi apellati, Lycaones & ab ortu & occasu eos cingũt, à sept. finiũtur Galatia, à meridie Pamphylia. Vrbes Pisidicæ, Oronda, Appollonia, Antiochia Pisidiæ eadem Cæsaria, Ambiada, Neopolis, Antiochiæ Paulus Euangelium gentibus annunciauit.

LYCAONIA.

Lycao-

PIsidas includit Lycaoniã, cui à septent. occurrit Phrygia, ab ortũ solis Cataonia, à meridie Tauri uertices & Cilicia, ab occasu Pamphylia. Oppida, Derba, Lystra, Laranda, Isaura q̃ & Claudiopolis, Ptolomæo Lycaoniæ, Cappadociæ ascribit, nõ dico eã quæ imminet Cariæ & Lytiæ, nã separatim illi9 meminerũt ali9, sed quã iam recensuim9.

CAPPADOCIA.

CAppadociam Paphlagonia & Gallogræcia ab occasu terminãt, ab ortu Armenia minor, Scordiscus mõs, Colchis ac diuersarũ linguarũ gentes, Tibareni, Mosyni, Buxeri, Macrocephali, à sept. põtus Euxinus, à meri. Augusta q̃dam Ciliciæ portio, nomen huic à Cappadoce fluuio, quem Thermodonta dicimus. Cappadocia, cũ prius Syria & Leucosyria diceretur, subinde mutata est, Persæ dum rerũ potirentur in satrapias duas eam diuiserunt, Macedones eiectis Persis in decem, reliqui in duo regna, nam quicquid eius ad iaceret Tauro Cappadociã, ppriè uocabant, reliquũ q̃d ponto appropinquaret Cappadociã magnã, Romani in prouinciam redegerũt. Vrbes eius Mazaca quæ tandẽ in honorem Augusti, ut Florus tradit Cæsarea dicta sunt, Tyana, Comana põtica, Sebastia, Sebastopolis, Næocæsarea, Amasia Strabonis geographi patria, Cucusum, Maziancũ, Nissa cognominis huic quæ est in Caria, Ancon, Themiscyra urbs & eodem nomine campus, Polemoniũ, Cerasus, Pharnace, Hissi portus, Trapesus & in intimo maris recessu Sebastopolis alia, antea Cibira dicta, eo etiã memorabilis q̃ Andreas Apostolus in ea Euangeliũ docuit. Flumina, Halys, Iris, Termodon, Absarus, Lycus, Mõtes, Argæus & Scordiscus, in Cappadocia lacus in quẽ si arundinẽ demiseris & postridie eius diei exemeris, ea pars q̃ subtus aquã fuit lapidea inuenitur.

ARMENIA MINOR.

ARmenia minor qua orientẽ ſpectat Euphrati & Armeniæ maiori contermina, in ſeptentrionem ad Orbaliſſenam præfecturam uſquè progreditur, Tauri iugum q̃d à Cilitia in aquilonem abducitur, & mons Scordiſcus à limite occiduo eam claudunt, à meridie Cilitia, Amanus mons & Syria Comagena. Sunt aliquot Armeniæ minoris præfecturæ, Cataonia in qua Claudiopolis antea Iſaura, Mopſocrene, Comana Capadocum quam Sarus fluuius inter fluit & tandem Cilitiam perlabens in ſubiectum pelagus exit, Orbiſena, Melitena, Orbaliſena. Vrbes illius Nicopolis, Bizatus poſtea Leontopolis, Theodoſia, Melita, flumẽ Melas, huius fontes oriuntur in Argæo monte & Euphrati illabitur ad Melitam urbem, Antitaurus mons ferè eam mediam ſecat.

INSVLAE MARIS mediterranei.

CVm tantum laboris in deſcribenda Europa, Africa, & Aſia nobis exhauſtũ ſit, & ad finem iam operis penè peruentum, ſupereſt ut inſulas cum eas quæ ſunt in Mediterraneo mari, tum illas quæ extra ſunt in Oceano non minus breuiter q̃ diligenter & rerum tantum ſummas proſequamur. In Meotide, nam inde commodiſſime incipiemus, Alopece Migadorum domicilium, in Ponto Leuce quæ & Achillea quòd Achilles ibi ſepultus eſt, cuius ædem ſacram nulla auis adire poteſt, Cyaneæ in Boſphoro Thratio duæ, paruo diſtãtes interuallo. Symplegades quòd antiquitas olim eas concurriſſe & ſibi inuicẽ colliſas eſſe credidit dictæ.

in Propon

in Propontide Proconnesus eadem Neuris, Aristeæ uersificatoris patria, qui prout collibitum sibi fuit uitam nunc deseruit nunc resumpsit, in Hellesponto Tenedos quam Tenes cuius ex nomine insula dicitur infamatus stupro nouercæ uacuam cultoribus occupauit, in ea delubrum Appollinis Sminthei, littus Sigæum huic ex aduerso est, in Aeolia Lesbos, cuius uinum in magna gloria, Theophrasto alumno clara, Vrbes in ea, Eressus, Mithylene, Methymna, Antissa, iuxta Ioniam Chios eadem & Chia, promontorium Aruisium, hinc uinum aruisium quod corruptæ Maluisium â nostris dicitur, è regione Cariæ Cos quæ & Coa & Coum & id ætatis Langoum uocatur, Hippocratis medici natale solum, Chio & Coo interiecta est Samos, in qua Iuno adoleuit, & Ioui nupsit, & Pythagoræ philosophi genitale solũ, ager Samius ita uber ac fertilis omni genere rerum, ut etiam lac gallinaciũ procreare diceretur, iuxta est Icaria deserta quidem, egregia tamen in ea pascua ab Icaro paternæ fugæ socio, qui non seruata uia in hanc cecidit dicta est, unde mare Icarium nomen accipit, In Lycia Rhodos à Rhodo nympha, ut aiunt, dicta, omni genere artium olim nobilitata, Rhodi Colossus solis, altitudinis septuaginta cubitorum fuit, is terræmotu aliquando deiectus etiam iacens miraculo fuit, pauci pollicem eius amplectuntur, maiores sunt digiti quam plæræq; statuæ, nunquam tanta nubila cœlum obducunt, ut non aliqua hora in Rhodo sol cernatur, Vrbes Rhodi præcipuas Homerus Iliade secunda uno uersiculo expressit: Λίνδον ἰήλυσον τὲ καὶ ἀργινόεντα κάμειρον.
Lindon, Ialysonq;, dein claramq; Camiron, quæ olim Ialysos hodie Rhodos est homonyma insulæ, hãc annis ab hinc ferè quindecim aut non multo secus Turci, principibus Christianis quia fortassis nec quicquam iusti doloris & leuis hæc contra Turcos suscipiendi belli causa esse uidetur, con-

niuentibus ademerũt, Carpathus haud procul inde abeſt un de uicinum mare Carpathium appellatur, contra Chelido nium promontorium in confinio Lyciæ & Pamphyliæ, Chelidoniæ nauigantibus importunæ, in ſinu Iſſico Cyprus Ciliciæ Tracheæ ac Syriæ obiecta nouem aliquando regnorum ſedes, promontoria, Dinares in ortum, Acamas in occaſum, eſt in agro mediterraneo Olympus mons Lycum & Lapethum amnes effundens. Vrbes, Cypri, Paphus in qua Venus præcipue colebatur, quæ prima artem meretriciam inſtituit, autorq; mulieribus in Cypro fuit uti uulgo corporis quæſtum facerent, Salamis, Palæpaphos, Amathus, Corynæum, in littore Phœnicio Arados, Canopus ad hoſtium Nili Canopicum, Pharos Alexandriæ aduerſa quondam unius diei itinere ab Aegypto diſtans, nunc ei propinquior. Contra Syrtim maiorem Cuteletos, contra minorem Menninx & Cercinna pari magnitudine, in Menninge lotos multa ſuauiſſimi fructus, ob id Lotophagorum domicilium id quod antea diximus credita, contra Carthaginis ſinum Aegates & Tarichiæ, & hæ quidem littoribus Aſiæ & Africæ adiacent, Europæo littori apponuntur plures, in mari Aegæo, ppe Thraciã Thaſos Abderæ urbi aduerſa, Imbros cũ oppido eiuſdẽ nominis, Samus Thracia quæ nunc Samothrace, gemmam ad nos mittit nigram ſine põdere, ligno ſimilem quæ & ipſa Samothracia uocatur, Lemnos Atho monti oppoſita in quam Vulcanus claudus ille Deus cum opem Iunoni matri contra Iouem ferret præcipitatus eſt, Eubœa Beœtiæ appoſita à qua etiam olim auulſa eſt, & Bœotiæ interfluẽte Euripo ponte iungitur, in ea duo promõtoria maxime inſignia Gereſtum & Caphareum, & ubs Calcis, cuius ex aduerſo in Bœotia aulis eſt, in agro Chalcidico fel pecori nullum, Eubœæ finitima eſt inſula Cea, ubi ueſtes bombycinæ ad fœminarum

narum luxũ olim texebantur in Attide Helene ſtupro Helenæ nota, & Salamis, in Phocide Anticyra una, nã altera Malienſibus uicinã Strabo tradit, ambæ helleboro inſignes, circa Peloponneſum Aegina quã Oenonam ueteres appellauere, ſed ipſe Aeacus Aeginã genitricis nomine dixit, in mari Myrthoo Cythera ſunt, inſula Veneri cõſecrata, In mari Ionio Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacinthos, Dulichiũ, Ithaca, in Epiro Echinades, quæ & Acheloides, tum etiam Strophades olim Plotæ dictæ, quas Dira Celeno Harpyiæq; colũt aliæ, in ſinu Ambracio Leucadia olim inſula nũc terris annexa & peninſula, oppidũ in ea Leucas quondam Neritum dictum, & inibi albicanti colore petra in pelagus proiecta, unde qui ſe demittunt in mare amoris flamma leuantur, hinc ſe Deucalion Pyrrhæ ſuccenſus amore miſit, hinc Sappho cum impotenter Phaona amaret, deſiluit, ab hac non procul abeſt Corcyra cũ urbe eiuſdem nominis, Corfunæ nomen hodie habet, inter eam & Saſonidem Melita, unde catuli Melitæi dicuntur, in medio mari Aegæo, Melos, Olearos, Aegyla, Cathon, Ios, Thera, Gyaros, Hippuris, Dyoniſſa, Cianos, Chalcis æreibi reperto nobilis, Icaria, Pinaria, Niſyros, Amorgus, Lebinthos, Calidne, Aſine, quæ oẽs uno nomine q̃a diſperſæ ſunt Sporades dicunt. Poſt iſtas Sicynus, Cithnos, Siphnos, Seriphos, Rhene, Paros marmore inclyta, Scyros, Tenos, Myconos, cuiꝰ incolæ ferè caluí ſunt, Naxos, Andros, q̃ & Antandros in q̃ templũ Liberi patris, & fons q̃ ſemp nonis Ianua. uini ſapore fluit, Telos unguẽto Telino celebris, Delos in q̃ nati Apollo & Diana, & mõs Cynthus, diu inſtabilis fuit, donec in ea deſitũ eſſet ſe peliri cadauera, hæ q̃a in orbẽ iacẽt Cyclades uocãtur, & quã uis Sporades Aſiæ et Cretæ Cyclades Delo adiacere dicant, ſcriptores tñ plerũq; Cyclades cũ Sporadibꝰ & Sporades cũ Cycladibꝰ cõfundũt, deinde Creta Iouis magni medio iacet

inſula

insula ponto, Dactyli Idæi & Curetes olim eã tenuerunt, fama centum urbium celebris, & ob id etiam Hecatompolis dicta, longo tractu inter ortum & occasum porrigitur, à septen. Aegæis & suis æstibus pulsatur, ab austro mari Libyco & Aegyptiaco, ab ortu Carphatio, ab occasu Ionio. Mõtes in ea Ida, Dicte, Cadiscus, Corycus. Promontoria duo, Sammonium Rhodo aduersum, & κριὸς μέτωπον ideſt arietis frons ad occidentem. Oppida multa, sed primas tenent Gortyna ad amnem Lethæum, Gnosos, Phæstus, Lycastus, Lyctus, Cydon, Dictynna, Dium, Asum, & noui nominis Candia. Flumina, Lethæus & Oaxis ad quem Oaxia ciuitas. In Creta nec̃ ursus, nec̃ lupus, nec̃ serpens, aut omnino maleficum animal præter phalangium, in ea ἄλιμος herba nascitur, quæ gustata famem diurnam cohibet, præterea Dictamnus quæ potu & suffitu mortuos ex utero pellit fœtus, capris siluestribus uulneratis esu illius tela & cuspides omnes è corpore decidunt, iuxta est Asticla, Naumachos, Zephyre, Crise, Gaudos quæ eadem Claudos. In mari Adriatico Absoros, Celadusæ, Absyrtis, Issa, Trucones, Hidria, Nigra Corcyra, Tragurium, Diomedææ, quarum altera Diomedis sepulchro conspicua, Asine, Pharos Brundusio adiacens cognominis huic quæ obiacet Alexandriæ, postea Sicilia quæ Sicania, ab occasu & septentrione mari Tyrrheno & suo alluitur, à meridie Afro, ab ortu Adriatico, hæc olim continens Italia adhæsit, tandem pondere undarum superioris maris ab ea diuulsa est, eodem ferè modo se ad Italiam habet quo Peloponnesus ad reliquam Græciam, uerum hoc distant, quòd hæc paruo admodum freto ab Italia diuiditur, illa exigua terra reliquæ Græciæ iungitur, siquidem ex Peloponneso in Græciam pedibus iri, ex Sicilia in Italiam non nisi nauibus traijci potest, Cyclopes & Bestrigones hanc olim habuere, forma eius triquetra

specie

ſpecie figuratur, quotq; eius anguli ſunt totidem promontoria, unde etiam Trinacria dicitur, Pelorus Italiã ſpectat, Pachynus Græciam, tertium quod in Africam extenditur & pelagus Sardoũ à Siculo diuidit Lilybæũ uocatur. Vrbes habet, Hyblã, Agrigentum, Pauorinũ, Meſſanã Rhegio in Italia contrariã, Drepanã unde Drepanũ promõtoriũ, Tauromíniũ, Catanam, Lilybæum Sibyllæ ſepulchro clarum, & omnium pulcherrimam ac reliquarum principem Syracuſas, ubi fons aquæ dulcis cui nomen Arethuſa pleniſſimus piſcium, in quo uiſuntur ea quæ in Alphæum amnem Peloponneſi iaciuntur, unde creditur ille ſubter ima maria & cuniculos ſubterraneos conditus ac rurſus in Sicilia exortus, Mõtes, Eryx Veneri ſacer, & Aetna Vulcano inſtar Veſuuij in Campania & Chimeræ in Litya aſſiduis ignibus flagrãs, campus qui circa eſt Aetnenſis uocatur, ſemper florulentus & omni die uernans, fretum quo ab Italia abſcinditur Siculum dicitur, Scylla, Charybdi & Syrenibus fabuloſis monſtris infame, patitur aliquid ſimile cum æſtuarijs Oceani, quolibet enim die ac nocte bis fluxum alternat, In Haleſinorum regione fons dum ſiletur quietus & tranquillus, cum inſonant tibiæ exultabundus ſupra margines attollitur. Flumina celebria, Diana qui præterlabitur Camerinam, à qua non procul eodem nomine lacus, Acis ex Aetna ſagittæ impetu decurrens à qua nomen habet, ἄκις enim græce ſagittam notat, hinc in Vlyſſem ſaxa egit Cyclops, Gelas qui nomen præbuit urbi Gelæ, Criniſus, Pantagies, Selinus Selinunta urbem præfluens, non longe à freto Siculo eſt Pontia, contra Siciliam in freto Siculo Aeæe quæ & Ogygia & Calypſus quòd Calypſo eam tenuit uocata eſt, Africam uerſus, Gaulos, Coſura, Epheſtiades quæ & Aeoliæ & Vulcaniæ ſeptem, Lipare, Hiera, Strongyle, Didyme, Ericuſa, Phœnicuſa, Euonymos quæ & Oſteodes, at Pithe-

cusa quæ & Aenaria & Inarime, Leucothea, Venaria, Sinonia, Capreæ, Prochyta, Pontiæ, Pandataria, Phytonia, Palmaria Tyberinis hostijs obiacent, deinde Corsica est quæ ab occasu & septentrione mari Ligustico alluitur, ab ortu. Tyrrheno, à meridie pelago quod inter ipsam & Sardiniã iacet, Græcis Cyrnos dicta angusto freto à Sardinia seiuncta, taxum arborem huius insulæ si apes insederint mel amarum conficiunt, Cacochites gemma in hac sola terra gignitur, q̃ manibus glutinis modo cohæret. Vrbes, Mariana & Aleria, huius insulæ habitatores q̃d subinde mellis cibo utunt lõgæui sunt, Sardinia huic finitima à Sardo Herculis filio appellata in orientẽ q̃ in occidentẽ latior ꝓminet, à quibusdã Sandaliotis & Ichnusa, nã humanæ speciẽ plantæ tenet, dicitur, diues ager frugũ & nullarũ rerũ quæ ad humanũ victũ pertinent non ferax, uerũ hanc fœlicitatẽ quædam malignitas æquat, siquidem aer λοιμῶδης καὶ νοσώδης, i. turbidus & pestilens est, q̃d montium sublimitas salutares boreæ spiritus excludit, serpentes in ea nulli, uerũ solifuga ex formicarũ genere malefica bestiola agrũ Sardoũ mire infestat, gignitur etiã ibi herba Sardoa quæ edentibus eam oris rictũ ita cõtrahit, ut ridendo moriantur. Vrbes, Calaris & Sulchi. E regione Galliæ Stæchades tres ex ordine sic dictæ, nomina illarũ sunt Prote, Mese, Hypæa, hoc est prima, media, infima, contra Hispaniam Tarraconensem duæ sunt Baleares, maior alra atq; opulentior armis uirisq;, altera minor, fertilis agro, uiris, armis haud æque ualida, in his matres filijs manc panem nõ præbent nisi fundis, quo teli genere plurimũ utuntur, ferunt q̃d propositũ est, Cuniculi Balearibus insulis populatis earũ messibus aliquando famem intulerũt, & eo necessitatis Balearici adacti sunt, ut aduersus eorũ ꝓuentũ auxiliũ militare ab Augusto peterẽt, maioris urbes duæ, Palama & Potentia, minoris Iamno & Mago, nos Maioricã & Minoricã

hodie

hodie, Græci Gymnesias uocant, inde Ebusus omnium animalium quæ nocēt expers, & Ophiusa siue Colubraria q̄ his omnibus abundat atq; ob id inhabitabilis est, attamen id terræ spacium quod Ebusitana humus in Colubraria circumsignat habitabile & tutum à serpentibus redditur.

INSVLAE HISPANIAE ET Oceani septentrionalis.

GAdis insula egressis fretum ad dexterā obuia est, eadem Erythia & Aphrodisias & lingua Punica Gadeir, id est septum & Colynusa uocata est, Geryones ille tricorpor cuius armenta Hercules abduxit hāc olim habitauit, tametsi sint qui Geryona in Erythia quæ à Gadibus alia sit & littoribus Lusitaniæ obiecta uixisse existimēt, Berlingā hodie uocāt, templum Herculis Gadibus est, & id quidem religiosissime quod ossa eius ibi condita sint à ueteribus cultum, urbs insulæ cognominis, Oceanus Atlāticus per mare Gaditanū diffunditur in interiora maria, Gadibus tāta pabulorū lætitia ut pecora nisi à pastu repellantur dissiliant, tanta lactis pinguedo, ut serum dum coagulatur non efficiat, Gaditanæ puellæ Romam commeabant, libidinosæ, procaces, saltatrices, nimia lasciuia in cantilenis & choreis gestiētes. Cassiterides numero decem Hispaniæ obiacent, à copia plumbi q̄d κασσίτερον Græce dicitur uocatæ, opes earū oēs ferè in pecoribus sunt. Britannia olim Albion nūc Anglia ab Anglis Saxonum populis qui eam occupauerūt appellata, grandi angulo Rheni hostia prospicit, deinde obliquata retro in septentrionem & occidentem latera abstrahit, alterum contra Galliā, alterū contra Germaniā, hominū in ea infinita multitudo, creberrima ædificia Gallicis ferè cōsimilia, olim utebantur annulis ferreis ad certū pōdus examinatis, p nummo, na

scitur ibi plumbum album in mediterraneis locis, in maritimis ferrum, sed eius exigua copia est, materia cuiusq; generis ut in Gallia, præter fagum & abietem, leporem, gallinã & anserem gustare fas non putant, hæc tamen alunt animi & uoluptatis causa, loca sunt temperatiora quàm in Gallia remissioribus frigoribus, longe humanissimi omnium sunt qui Cantium incolunt, quæ regio est maritima omnis, Galliæ Belgicæ aduersa Angliterram uocant, nam hoc tempore tres partes insula habet, quà Hiberniam spectat Vuallia dicitur, ubi Cantium & Londinum Angliterra, Scotia pars est tertia Ptolomæo Britannia minor dicta, gens olim bello ferox, καὶ τόξου δὲ εἰδώς, id est arcu ualida, uerũ hoc tempore haud paulo institorum melius propter sordida ingenia cẽq; militũ genus, in omnes enim penè terras quæ ad luxũ mulierem pertinent inuehunt, & ea quidem adulterata omnia, Britanni glasto se olim inficiebant omnes, quo horribiliores in pugna essent aspectu, frumentũ non serebant, sed carne & lacte uictitabant, hæc tamen omnia ab antiquo more labauerunt in dissuetudinemq; uenerunt, hoc æuo homines in Britannia ciuiles & cultissimi, honestarũ artium amor uehemẽs & indies acrior. Vrbes in ea, Cantuaria, Eboracũ, Londinum gentis caput, ad Tamesim fluuium ad cuius ripam cignorum ferè quatuor milia quotidie aluntur. Scotiæ urbes, Sanctus Andreas & Sanctus Iohannes & sedes regia Edenburgũ. In Oceano Britannico gignuntur margaritæ subfuscæ & liuentes. Inter Britanniã & Iberniam Mona quã nũc Man appellant. Iberniæ priscis Iuuerna nostris Irlandia dicta, qua ex parte Britannia occidentem solem spectat sita est, dimidio cẽq; Britannia minor, incolæ Heluones & Ventres, in oceano Germanico ẽ regione Sueui fluminis Rugilandia, Rugij, quorum Tacitus simul cum Lemouijs meminit eam tenent, ab hac Glessariæ siue Electrides, glessum enim

enim Germanis id dicitur quod electrum Græci, Latini Succinum nuncupant, trígínta ſunt Orchades anguſto inter ſe diſtantes ſpacío. Hetlandía Orchadum maxima urbem habet Ochadam, cui præeſt epiſcopus, ſeptem ſunt Hemodes in ſinu Codano, inter quas Codanonia hodie Selandía, Thule quam ſex dierum nauigatione in ſeptentrionem à Britannia abeſſe Timæus hiſtoricus dixit, Islandíam noſtra tempeſtate uocant, montoſa, inculta, rupem habet quæ perpetuis ígnibus Aetnæ modo æſtuat, in ea ſpíritus ſunt mutato quos nomine Drollos dícunt, miniſteríjs hominum ſe iungere gaudent, ut ínquit Celtes poeta, Holen urbs epíſcopalis. Talca in mari Caſpío ſine cultu fertílis, fructus tamen eius attíngere crímen ſacrilegio proximum accolæ putant, Díjs paratos exiſtímantes, Díjs ſeruandos, inſulæ complures in oceano Scythico & ad promontorium Thabin, ſine nomínibus tamen, & ob rígorem cœlí atq; immanitatem iuxta habítantíum, ἀνθρωπόφαγοι enim ſunt, deſertæ.

OCEANI INDICI ET Aethyopící inſulæ.

EXtra Indí hoſtía Chryſe & Argyre quas alíj Chryſa ram & Argyream nominant, auri argentíq; metallis memorandæ. Traprobane quam ueteres Símondí inſulam & Salycam nos Samotram uocamus Indíæ prætenta, omnium inſularum toto orbe maxíma, íncolæ huíus relíquorũ mortalíum magnítudínem excedunt, comís, rutílis, oríſ ſono trucí, apud quos in creando rege non tam boní natales q; ſuffragium uniuerſorum & anteacta uíta ualet, eum enim delígũt, quí ætate grauís ſit, morĩbus & clementia ſpectatus, cui nulli líberi, idq; maxime cuſtoditur, ne regnum fiat hæreditarium, Annonæ precium apud eos nunquàm augetur,

ædificia eorum modice ab humo extāt, testudines tantæ ut superficies earum toti alicui familiæ domicilium non arcte præbeant. In sinu Persico Ogyris, & Syagros quam canes non intrant, & expositi in littore errando moriuntur, in sinu Arabico, Saspirena, Aphrodite, Agathonis insula, Cardamin, in mari Prassode, quod â Prasso promontorio nomē habet, aliquot sine nomine. Cōtra promontoriū Hesperonceras in mari Aethiopico Gorgades insulæ sunt bidui nauigatione â continenti distantes, Euryalæ, Stenus & Meduſæ filiarū Phorci Sardiniæ & Corsicæ regis quondā domus, in Medusam natu ex his maximam cū aliquādo incidisset Neptunus maris Deus, ita eff lictim amare cœpit, ut eā fugientem etiam in fano Palladis uiolaret, ob quam rem dea ita exanduit, ut crines eius quibus maxime Neptuno placuit in angues uerteret, effecitq; ut omnia quæ intueretur lapidesce rent. In mari Atlantico Hesperides duæ memorātur, E regione mōtis Atlantis insulæ Fortunatæ numero sex in omnia frugū genera fœcūdæ, in quibus tellus fruges inarata quotannis reddit, imputata floret usq; uinea, aer & uenti saluberrimi, utpote q nulla paludū grauí nebula inficiuntur, homines in his pilos non nisi in capite habent, in supercilijs, palpebris & barba nullos, herba apud eos nascitur sup quam in faciem cubant cū sacietas uitæ eos cœperit, ac post paruū somnum ē uita migrāt, uxores habēt cōmunes, & cōmuniter filios nutriūt, illosq; â matribus seiungunt, ne illam cognoscere aut ab illa nosci possint, credidit antiqtas eos matutino tempore serere, meridie metere, noctu in syros frumenta condere, scribūt nō ex aduerso ut nos, sed supne deorsum recto uersu, discordia atq; oīs & corporis & animi ægritudo illis ignota, domos habent nemora & deorū lucos, una singulari duorum fontiū natura mirabilis, alterū q gustat risu in mortem soluitur, remediū est ex altero bibisse, creditū est campos Elysios in his insulis esse.

De

DE TERRIS ET INSVLIS nuper repertis.

AMericus Vesputius uir rerum maritimarũ & astronomicarum insigniter peritus, annis retro ab hinc nõ admodum multis in ultimo occidẽte terrã prisci s. Geographis planè incognitã inuenit, quam à suoipsius nomine Americã uocamus, Bresilia & terra Papagalli nõnullis dicitur, insula ne an cõtinens sit incõpertũ adhuc, incolæ eius qui ad æquatorem colũt Canibales dicuntur, & ἀνθροποφαγοι sunt, cultiores qui ultra capricorni circulũ, uelamenta corporis ex plumis psitacorũ arte adhibita contexunt, fidem maritalis lecti nõ tam præceptis q̃ exemplis inconcussam seruant, nimirũ intelligẽtes efficacius homines ad id quod rectũ & honestũ est, exemplis q̃ præceptis & legibus incitari, qui habitãt partem aquilonarem longe omniũ sunt cultissimi, eo quòd Hispani frequẽter ad eos commeãt, tametsi à religione Christi alieni, leges tamẽ & sacra suo more habẽt, auri gemmarũq̃ magna apud eos copia, Temiscela præcipua totiq̃ Americæ urbs tropico capricorni subiecta. Sunt præterea insulæ duæ, Spagnolla & Isabella eadẽ & Cuba & Ferdinandina ijsdem penè moribus, longe admodũ à promontorio Caput uiride uocato Lusitanis insula inuẽta est, cui Sanctæ crucis nomẽ fecerũt, cuius indigenis legum ac Dei cognitio nulla, utpote ἀνθροποφαγοις, frumentorũ usus nullus, panis herbaceus. Zyangrus & Iauæ, maior & minor in extremo oriente statuuntur, Madagascar in meridie tropico capricorni suppositа, uerum de his omnibus nihil comperti ex idoneis autoribus hactenus intelleximus, nisi speciosa quædam mendacia à quibusdam nobis narrata afferre uellemus.

Τῷ θεῷ δόξα.

c
J538
R611J